



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Anima Historiae Hujus Temporis In Invicto Caroli V. Et Ferdinandi I. Fratrum Imperio, Repræsentata

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1672

Liber VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28359

LIBER VI.

DUm hæc Ratisbonæ gererentur, Solimannus magnam Hungariæ partem contra Ferdinandum armis artibusque suis occupare aggressus est. Concertatio de hoc regno inde nata est, ut supra memini, quòd Ludovico Rege, olim ad Belgradum à Turcis prostrato, alii Ferdinandum Ludovici affinem, alii Joannem Waivodam Transilvanum ad Regni possessionem evocârunt. Quorum hic Solimanni operâ, cui se vestigalem addixerat, possessor factus superiori anno, vitâ regnoque defunctus, Ferdinandum ad fortunam rursus armis experiundam excitavit, neque cœptis omnino successus defuit; nam sub Duce exercitus, Leonardo Vellio, Vicegradum, mox deinde Pæstum, Vaccia, atque Alba Regalis non magno negotio occupatæ. Buda etiam, Rochendorfo regiæ aulæ magistro suppetias adducente, in periculum adducta est, nec dubiè interceptienda; nisi hic majori nomine, quàm consilio pugnans, semel vi, semel infidiis patefactum in urbem aditum neglexisset, donec post hiemem denique Solimannus adesset, cui dum castra nostri objicerent, minutis, quibus Turcæ obceleritatem maximè valent, præliis, sensim fracti fugâ se Pæstum subtrahere, quâ urbe, denique ac castris, ita ejecti sunt; ut ad XX hominum millia cladem pervnisse dicant. Solimannus verò hujus regni opulentiâ ac dignitate captus, fidei Reginæ datæ immemor, Budâ illam cum filio puero ultra Tibiscum in Lippam abire jussit, atque ejus loci dominio potiri. Ita videlicet Europæi Principes firmissimo contra immanissimam gentem Orbis Christiani præsidio exciderunt, quod & agrorum ubertate, & metallorum copiâ, & pecorum frequentia, non incolis modò, sed & accolis utilissimum, ac veluti quoddam Christiani orbis propugnaculum, hæcenus eorum audaciæ objectum fuerat.

Ferdinandus ubi suâ se opinione ac regno excidisse vidit, Legatos ad Solimannum destinat amplissimis instructos muneribus, sine quibus nullus ad Tyrannum aditus. Erat præter aureum gemmis distinctum poculum, conflata argento machina, quæ admirabili opere cœlorum motus, siderumque errores, ac præsertim Solis Lunæque occurfus per sua temporum spatia exhiberet, ita quidem; ut ponderibus rotisque suis librata, suo se motu regeret, tam æquali orbium cœlestium inæqualitate, ut Solimannus earum rerum non incuriosus observator, operis artificisque admiratione hæserit. Frugali hi primùm à Purpuratis excepti sunt mensâ, quam oryza ac vervecina caro inceptit absolvitque, potu ex

I.
Solimannus superiorè Hungariam locum Regem mortuo invaluit, cõjuge ejus cum filio ultra Tibiscum relegato. *lor. l. 39. & 40. Isthuanff. l. 14. Leuon. l. 18.*

II.
Ferdinandus Rex frustra Legatos cum muneribus, pro regno destinat. Orbis argenteus

1541.
astrolo-
gicus ra-
tissimi or-
peris.

Legati
ad Turcā
pallis ad-
missi
brachiis.

Indigna
Soliman-
ni postu-
lata, &
Legato-
rum re-
jectio.

III.
Cæsar al-
teram in
Africam
expedi-
tionem,
omnibus
dissuade-
tibus,
adornat.

Franci-
scus ob
Legatos
suos in-
terfectos
inducias
violatas
queritur.
Nec ta-
men hinc
imminēs
bellum
Carolam
detinet.

fonte ministrato; quanquam Legatis interdictum sibi vinum detulerint. Non obscura hæc videri poterat luxuriosi nostri reprehensio, qui mensarum apparatus non necessitatis modo, sed immenso gulæ desiderio, aut nobilitatis ostentatione definimus, à mensa ad Solimanni prætorium singuli inter purpuratos duos medii ita deducti sunt, ut levatis hinc inde brachiis ad manuum oscula adhiberentur. Quæ honoris specie cautum Tyrannis est, ne quod facile ab intrantibus malum accipere possint, manibus ad facinus præpeditis. Legati exhibitis muneribus, ubi sub iis tributio neribus Ferdinandum regno inaugurari postulassent Solimanni beneficio, quibus id Joannes obtinisset, eò quod infanti superstiti multis potior titulis videri debeat, id biduo post responsi accepere. Ut Ferdinandum jubere ceteris in Pannonia locis cedere, ac perpetuo obnuntiare; tum deinde Austriam Turcis vectigalem subdere; nisi arma cum eis malit quàm pacem experiri. Salma & Lichtenstenius, (hi Legatorum munere aderant) justissimam indignatione dissimulatam, quam arrogantis Tyranni responsa meruerant, inducias rogarunt, ut Cæsaris ac Ferdinandi ea de re sententiam explorarent, sed irritam postulatione, quod Solimannus eis tempus ad exercitus instructionem indulgeri, sibi verò ejus usum per hiemem incumbentem eripi nollet.

Eodem tempore, quo Solimannus in Hungariam, Cæsar, dissoluto Ratisbonæ comitio, in Italiam contendit Africanæ expeditioni intentus; ut Asanagam Barbarossæ Præfectum Hispaniæ littoribus infestum, Algerio atque ab istius maris possessione, depelleret. Quocirca non levi Germanorum Principum obrectatione atque invidia perstrictus est, quod Pannoniam ac hereditarias Austriacorum possessiones atrocissimo hosti prostitueret, atque ad aliena occupanda tantis terrarum aquorumque spatiis properaret, fratre deserto, neglectam Germaniam dedecore nunquam satis expiando; quod fugam magis circumspicere honestam quàm bellum pro patria, pro aris ac focus gentilitiis videatur. Sed Hispaniæ defendendæ proposita Cæsari ratio, hac obrectatione potentior extitit. Venit in Italiam ac Lucam non nihil apud Pontificem, huc, pacis & Caroli gratiam, excurrentem, hæsit; sed de pace frustra cum Gallo concilianda laboratum est, quanquam & Moninus Regis Galliarum Legatus adfuerit, qui violatas à Cæsarianis inducias est questus, quod Rinconius & Fregosius Gallorum Legati, Byzantio à Turcarum Imperatore reversi, in Pado flumine, dissimulatis sub personis deprehensi essent, (neque enim interiisse adhucdum constabat) quæ novi deinde belli occasio fuit. Quamvis non immeritò Rinconium cæsum existimarent, quod is Hispaniam proscriptus, capitisque in eum poena jam decreta fuerit, tanquam ad hostium partes transfugam. Cæsar tamen atque etiam Vastius oblato ad purgationem duello, hanc suo imperio cædem esse patratam negarunt; neque Gallis ad hæc argumenta, quæ convincerent, præter vehementem facinoris suspicionem, suppetebant, cum sicarii laterent, mors sola testaretur injuriam, non autorem; unde variis ultrò citròque criminationibus decertatum est, Vastiusque multorum indignatione oneratus. Porro de generali Concilio in annum sequentem indicendo inter Pontificem ac Cæsarem est constitutum. Quanquam illud inane decretum

pleris-

plerisque non immeritò visum fuerit, quod pace nondum inter Europæos Principes firmatâ, difficilis ea Synodi conspiratio, ad hæreses aliaque Christianæ Reip. vulnera curanda, omnino futura esset. Omni præterea studio contendebat Pontifex, Budensî jam clade atque occupatione cognitâ, ut Carolum ab Africana profectio in Pannoniam converteret; sed obfirmatam Cæsaris voluntatem, licet Auriæ Valtique suffragiis adjutus, inflectere non potuit. Ille igitur cum Italicis copiis ab Augustino Spinola & Camillo Columna subitario delectu conscriptis, tum deinde Germanorum 6 millibus in onerarias exceptis, è Lunensi portu Auriâ totam classem moderante solvit, ad Baleares Insulas Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus opportunè cum triremibus Siculis onerariisque CL accessit; cui etiam Mendosius & Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, cum Hispanica classe, voluntariâ nobilitate ad patriæ defensionem plena, conjungendi apud Algerium erant; sed quod biduo seriùs ventorum injuriâ appellerent, Cæsar otiosus ad litus substitit, fortunamque de manibus elabi est passus, quam cum Hispanis communicatam volebat.

Ubi deinde Asanagam in Sardinia natum, atque olim Christianum ad fidem rursus ac deditionem urbis frustra invitasset, suos in terram expositos triplici acie propiùs urbem admovit. Fuit Algerium olim Jubæ Numidarum Principis regia, à Romanis Julia Cæsarea nuncupata, asperis excelsisque à tergo montibus, ad septentrionem mari cingitur. Portum Insula, haud procul objecta, & continenti, Barbarossæ studio, adjuncta, efficit; sed neque capacem satis, neque aquilonibus immunem assurgunt à mari sensim in colles cum domibus mœnia, non in eleganti seriè, quò ex ædibus quisque suis supra vicina tecta eminentibus, subiectum mare possit contemplari. Littus ab oppido ad Matafusium usque promontorium, oblongâ quidem; sed angustâ planicie extenditur, nam ubi à mari aliquot stadiis discesseris, molli flexu à colliculis in altissimos denique montes natura extollitur. Uteriora montium à Numidis vagâ libertate ita excoluntur, ut translatis mapalibus pecoribusque (quorum numero eorum opes definiuntur) agros quotannis alios ferant metantque, dum exhausti frugibus campi ad novam messis copiam sensim respirent. Cæsar orientale urbis latus obsidione complexus, Italos in planicie ad Oceanum, Hispanos in montium verticibus medioque Germanos loco in collibus consistere iusserat.

Sed iniquior Hispanis locus obrigerat perpetuâ Numidarum per avia sese admoventium excursionem infestissimus. Erant Numidæ pedites, è juventute lecti, feminudi, Cæsariè per humeros demissâ, equitum turmis permisti, ut darent acciperentque præsidium, quò tutius in hostem jacula (quibus solis armantur) figerent. Lancea equitum erat, utrimque ferro ad aversos etiam ictus instructa parmis illi oblongis levibusque defensi, intorquentium jacula à fronte tergoque eâ habilitate avertunt; ut, vel obtento scuto, vel hastæ inflexione, à suo illa atque equi corpore amoliantur. Peditum ea celeritas est, ut statarium militem nostrum facile declinent; equitum verò agilitas longè maxima, quâ, & declinare, & inferre ictum didicerunt; ut vix se quisquam nostrorum acie, nisi ad certa vulnera,

aut

It. 1. 4. 0
Serrus in
comm.
Schard.
oper. hist.
tom. 2.

IV.
Appul-
sus Al-
gerium
triplici
copiarũ
genere
Germa-
nis, Ital-
Hispan-
isque
obsidet.

V.
Numi-
darum in
pugnando
agilitas.

1541.

aut mortem efferret, sed his incommodis diligentia Cæsaris, contra magnam fatis ruinam cautum erat. Spem urbis superandæ loci opportunitas fecerat, cum sensim excrecentes muri mutuâ propugnaculorum ope, defendi vix possent, nec supra octingentos Asanaga propugnatores sub signis censeret.

VI.
Tempe-
state fee-
dissima
classis e-
vertitur.

Barbari
hac opa-
portuni-
tate usi
irruunt,
non levi
clade
Cæsaris.

Sed nimirum immatura hæc cælo fortuna Cæsaris visa est. Dum enim tormen-
ta de navibus equi provehant, atque annonam militaris expectatur, omniaque ad
urbem quatiendam spectant: tam aspera atque importuna, post effusum largissi-
mè imbrem, tempestas mare terramque occupavit; ut illic collisæ inter se naves
miserabili naufragio interirent; hic gelidis aquis, à prima noctis vigilia perfusi
milites, illi præsertim, qui pro excubiis stabant, neque arma manibus regere, ne-
que immersa cæno vestigia refigere commodè possent. Quam ubi barbari op-
portunitatem oculis designassent, tres Italicas cohortes, magnâ vi atque ingenti
cum sagittarum, tum lapidum grandine adorti, non levi strage perculere, quod
nostris sclopetorum usus, extinctis pluviâ fomitibus, aut corrupto pulvere, ad-
emptus, hostium furori impunè objecisset. Ferdinandus Gonzaga hanc barba-
rorum insolentiam infringendam ratus, quamvis dissuadente Columnâ, in eos
cum milite Augustinum Spinolam destinat, quibus in barbarorum receptu simul
urbem patere ad ingressum posse existimabat. Nec diu restitère hostes, nostris e-
tiam fugandi cadendique impetu ad ipsas portarum valvas delatis, quæ tamen
obductæ subitò, ac mox lapidum jaculorumque ingenti procellâ defensæ, Italos
ordinum signorumque immemores, in fugam averterunt. Quâ occasione Asana-
gas utendum ratus, cum suis portis effusus, quinque stadiorum iter non parvâ I-
talorum cæde complevit, tantâ militum Ducumque confusione; ut non tantum
animus, sed & militaris consilii ratio excidisse omnibus videretur. Verum Cæsar
opportunè cum Germanorum Legione suppetias attulit, vexillis aliquot præ-
missis qui suorum fugam hostiumque refringerent impetum, sed & illi fugien-
tium trepidatione atque agmine abrepti, terga vertunt.

VII,
Cæsaris
in resi-
stendo
virtus
infracta.

Collisæ
classis
spolia ab
hoste in-
hianse
collecta.

VIII.
Multæ
naves in

Tum enimverò Cæsar, contra omnem fortunæ injuriam ferreus, atque in
communi omnium consternatione imperterritus, districto gladio, vultu ac vocis
sono ad audendum composito. *Itane*, inquit, *Germane miles, levem hanc barbarorum*
manum non sustines? nec mora, pudore simul atque indignatione concitati, hostes
facilè represère: qui, sine clade sua, mare etiam tempestatesque ad insperatam
Christianorum perniciem decertare conspiciebant. Siquidem atroci prorsus
ventorum conspiratione, mare ab imis eversum sedibus in littora classemque fe-
rebatur, ut immani fluctuum impetu quassatæ naves adversis in se mutuò prorsus
puppibusque collisæ, tanquam crudelissimo Marte victæ, fatiscerent, atque in
oculis totius exercitus undis haurirentur, aliæ validis rudentibus anchorisque
tempestatis vehementiâ avulsæ, in arenas scopulosve adigebantur, & Numidis
ad oram maris hærentibus præda erant, eâ hostium crudelitate, quæ nemini par-
ceret, neque inermi, neque feminæ solis mancipiis ad transtra damnatis transi-
tus à servitute ad servitutum patebat.

In tam ancipiti multorum fortuna ac deliberatione, dum undis alii, hostium
alii

alii ferro procumbunt; maluit suâ nave quisque extremum tempestatis discrimen operiri, quàm barbarum se furori ac certissimæ neci objicere, quæ res non paucas triremes, omni vectorum contentione in Oceano detentas, naufragio exemit, navis simul, & vitæ conservatæ præmio. Et nisi intrepidi aliquot Navarchi strictis gladiis paventium atque ad littus incitantium manus remis amovissent, rostratarum pleræque, eodem exemplo cladis interiissent. Andreas Auria, indignans fremensque; quòd damnatos, observatione navigantium, inclinantis Autumni dies; non suâ, at Cæsaris voluntate coactus negligere, in hanc se fortunam dedisset: contra omnem tamen cæli marisque injuriam adeò infractus perstitit: ut privatam illi salutis curam suadentium voces, acerbâ verborum castigatione, repudiaret, ac publicæ salutis proditores diceret. Ita ille indomitus omnem maris tempestatem, aliique nonnulli, ipsius æmulatione provocati, sustinuerunt. Paucis tamen horis 140 navigia, ac triremes quindecim interièrent; ita ut littus universum, ab occasu ad oppidum Cercellum usque, collisarum navium fragmentis hominumque ac equorum constratum cadaveribus immensæ cladis spectaculum proponeret. Quæ verò atrocius in tam florentem exercitum brevi tempore fortuna sævire potuisset? Non modò naves hominesque, sed & iis, qui supererant, commeatus omnis, spesque vivendi cum navibus eversa fuerat.

Quid, quòd & ipsa adeò fuga, patriam retrò spectantibus, magnam partem interclusa, & milites, aut labore, aut inedia, aut vulneribus afflicti succumberent, nec loco quidem relicto ad quietem idoneo, cum ipsa etiam tabernacula ventorum impetus abstulisset. Quocirca, in extrema rerum desperatione, cum, non gregarius tantum miles, sed nec fortissimus quisque Ducum animos ad tam repentinum exitium retineret; unus in reliquis Cæsar cadentem suorum spem, tantâ animi orisque alacritate, tantâque in afflictos humanitate sustinebat; ut ad illum pertingere tam atrox ac insperata calamitas minimè videretur. Castra obiit, atque opportunis, contra Numidarum vim artesque, excubiis præsidisque munivit, & qui sibi fesso armatoque non parcebat; aliis tamen, vigiliis pugnisque fatigatis quietem imperabat. Trecentos eo die milites, sed nautas longè plures amisit, cum incredibili tormentorum mari absumptorum damno, quo ipsi deinde barbari locupletandi erant. Ad inediam tollendam, unum supererat remedium, equorum laniena, quæ à nauticis cœpit, ac deinde ad militares pervenit. Ut Cæsar non tantum in se homines atque elementa, sed ipsos denique aversos ab hoc bello superos pugnare intelligeret. Quibus, ne pœnam daret graviorem pertinaciæ, cedendum ratus, spectabat reditum, ac suis aliquam in fuga securitatem quærebat, unumque se malle Christianum servare, quàm mille Turcas perdere afferebat. Igitur luce alterâ triplici Cæsar agmine Algerio exercitum abduxit, circumfuso undique barbarorum milite, ac tertiis denique castris, ad Matafusium Promontorium accessit, quo Auria classis reliquias, tanquam securiorem in locum, subduxerat. Hic cum navibus omnes excipi minimè possent, summo multorum dolore gubernatoribus imperatum est, ut omnes ad unum equos in mare proturbarent, quòd hominum aliquantò Cæsari major, quàm jumentorum habenda sit ratio.

h

Jam

1547.
altri sub-
ductæ,
Auria
in primis
consilio
& virtu-
te ser-
vantur.

Navigia
140, tri-
remes 15.
perierunt
cum præ-
cipuo
cōmeatu

IX.
Cæsar in
extrema
calami-
tate ma-
gno ani-
mo suos
erigit, &
ab urbe
ad reli-
quias
classis
reducit.

1541.
X.
Exercitu
in classē
recepto,
bova tē-
pestat e-
vertit
multos,
alios dif-
sipavit.

Jam magnā sui parte navibus exceptus exercitus erat, cum mare, ad commo-
dam jam ante navigationem compositum, subitā tempestate exarsit, ut majorem
exactā mox clade ruinam minitari videretur, atque iccirco navium quaelibet non
hominum, sed ventorum imperio rapta, velis ventisque obsequeretur, quo de-
ferretur incerta. Nonnullæ in conspectu aliorum interiēre; aliæ, cum votis ad su-
peros conceptis, tum humanis oblectatæ viribus, in diversas terrarum oras fere-
bantur. Duarum, quæ Hispanos ferebant, improvisus casus fuit, cum ad hostile
littus, quod declinabant, Algerium depulsa, aut Numidarum ferro, aut Turca-
rum servitute premerentur. Alterius etiam quæ quadringentos facile milites
complexa fuerat, luctuosior fortuna extitit; cum omnes Mediterranei maris tra-
ctus sinusque pervagaretur, & postquam alicui portui vicina esset, rursū in al-
tum ejecta oberraret, ac vectoribus fame confectis umbras magis, quam homines
veheret, quæ ubi, post quinquagesimum jactationis diem, terris accepta esset, e-
duliis recreati milites, cibum tanquam venenum, ad breve sui exitium accēpere.

XI.
Cæsar
variè ja-
ctatus ad
Baleares
denique
appulit.

Cæsar, moderante Auriā cum rostratis, declinandæ tempestatē gratiā, Africa
præteriens littora, Buziam, Holcachite in sinu urbem, adiit; ubi nonnulli in arcis
præsidio Hispani; sed annonā tenui, contra infestos perpetuò Numidas vix satis
defensi, Ligusticā tamen navi com meatu onustā & fortè naufragio in littus eje-
ctā, non nihil recreatus est, tanquam solā infelicitate alendus. Postquam hic ali-
quot dierum morā, frustra tempestatē exitum, magnis etiam precibus votisque
susceptis expectasset, Siculas abs se triemes, inopiæ facilius tolerandæ causā, di-
misit, quæ tamen cursum suum tenuere. Ipse denique pacatioribus ventis ad Ba-
leares iter, atque inde novam Carthaginem direxit, ac cum sæpe de inimicis,
tum de ipsis modò in caput suum conjurantibus elementis triumphasse visus est,
tantā vultus animique constantiā, ut qui alias sæpe virtute suorum, nunc tam a-
trocem adversarum rerum impetum propriā tantū, nec communicatā cum a-
liis laude, superasse videretur. Quanquam infelicem rerum exitum suæ meriti,
contra aliorum consilia, pertinaciā imputaret.

An 1542

XII.
Franci-
scus Gall.
Rex di-
versis per
absentiā
Caroli
in stru-
ctus exer-
citibus &
federatis,
Italiam,
Hispaniā
& Bel-
gium si-
mul in-

Franciscus à cæde Legatorum omnem ad arma pacis cogitationem transtu-
lerat, nec mediis opibus viribusque contentus; sed ultimæ potentie conatum edi-
turus, Italia, Hispaniæ, Belgioque uno tempore, non uno exercitu, minitabatur;
ut si minis ubique, alicubi non expectanti imparatoque hosti cladem daret. Jam
arma in publico, consilia adhuc in occulto erant; nisi quod adversus Carolum ea
parata, & Langei, jam Carolo contra Turcam absente, in Italia hostiles conatus,
& Veneti, atque, ut ferebatur, Solimannus, in partem armorum sollicitati, osten-
derent. Langeus inclinatam multorum sub duro Hispanorum jugo fidem oppu-
gnabat, minori fortunā, quam solertiā; nam detecta Alexandria proditio Hispanos
advertit: quos induciarum fides securiores hætenus fecerat. Horum tamen
vigilantiam Langeus fefellit, cum nocte unā, geminas, easque non parum muni-
tas urbes, hinc Clarascum, inde Albam adortus est, eā celeritate, ut istic quidem
ad-

vadit. *Surius in com. Iovius l. 41. Belcar. l. 23. Schleid. Haraus.* In Italia Langeus Clarascum occu-
pat, contraque Vastius loca alia.

adesset in mœnibus, priusquam venire sentiretur. Albanis tamen contra improvisum malum Francisci Landriani virtus ac Hieronymi Vidæ antistitis eloquentia profuit; cum illo Duce, hoc monitore, magna pericula majoribus armis superassent. Vastius, ut Clarasci, haud ita facile recuperandi, damnum urcunque sarciret, minora duodecim oppida invicem Gallo abstulit. Ita paribus ferè in Italia, inter lucra ac detrimenta, momentis concertatum est. Sed jam geminum exercitum, suspensâ armorum intentione, secunda bellorum parens, Gallia cœgerat. Astutè Franciscus in Italiam armorum metum, in Hispaniam Germaniamque destinabat impetum. Geminos habebat Rex filios, indole ætateque utrumque jam bellis idoneâ. Henricus alter natu prior, avoque ex matre moribus propior, pallidâ fronte, elatos diffimulabat animi impetus; alter Carolus liberali vultu ingenioque parentis imaginem veriùs expresserat; & amari se, quàm metui malle vel mutus testabatur. Hi duorum exercituum creati Duces Hispaniaq; ceterior illi, huic Belgium Patris decreto obrigit.

Et sanè Belgarum populis timenda belli instantis tempestas videbatur, à septentrione simul ac meridie desævians, quam illinc Guilielmus Juliæ Princeps, cum Gallorum federato Christiano Daniæ Rege, hinc Vandomius è Morinis regiæ stirpis adolescens in Artesiam effusus, ac denique Carolus Regis filius, tribus exercitibus, totidemque in provinciis, concitabant. Rex Danus Juliæque Princeps Rossemium, audaciâ peritiâque promptum militem, cum exercitatis 14 millium copiis, quibus nullius se exercitûs vires formidare Ductor jaçtabat, Brabantia immisit, quam ingressus Hostratum per deditionem occupat. Ubi pillarum tormentarii que pulveris vis ingens reperta, tentandæ Antuerpiæ Rossemio animos fecit, neque rem tantam, auspicante fortunâ, leviter provexit. Siquidem per exploratores doctus instare Renatum Aurantium auxiliari milite ad præsidium urbi inferendum, celeritate viam, juxta Brescotum, præoccupat, expeditoque simul astu, cum silvæ ad insidias opportunæ deessent, peditatum mediis se campis jussit prosternere, equitatus parte exploratorum speciem præbuit, in quem dum incidunt, cæduntque prosequendo Aurantiani, ac victoriam plaudunt: subitaria acies, velut portentum de terra editum, attonitos circumstetit, vexilla hastasque concutit, tympana tubasque increpat, equitatus ex victo repente victor lateribus instat; ut desperatâ pugnâ fugâque, clementiam quisque hostis, quàm arma experiri mallet. Aurantium tamen per confertos hostes equus alacer Antuerpiam extulit, suæ cladis nuntium. Cui ille, pro ope, desperationem attulisset, nisi consulibus fortissimis Lucio Ursulo, & Nicolao Schemerio id temporis innixa Republicæ salus constitisset. Hi cum exteros Sacramento Cæsaris fidei addixissent, omnem ætatem bellis idoneam ad arma cogebant, cautèq; adversus seditionem atque incendia, publicis privatisque curis providerant. Rossemius ubi Antuerpiæ propius castra admovisset, per Legatum urbem Franciæ Daniæque Regibus dedi postulat. Qui cum responderent, præter unum Casarem nullum se agnoscere Principem. Legatus illum jam à piscibus devoratum esse reddit; sed Antverpiani, post triduum illum cum Iona revicturum asserunt. Itaque delusus spe suâ, cum

XIII.
Solum
Belgium
duobus
exerciti-
bus in-
vaditur.
Rex Da-
nus & Ju-
liæ Prin-
ceps Ros-
semium
immittit,
qui Re-
natum
Aurantiû
astu oc-
cupatum
cædit,
Antuer-
piam fru-
stra ten-
tat.

1742. urbis proceres supra expectationem suis opibus animisque comperisset fidere, quasi rem extremam ausurus, molendinis circa urbem subiecit flammam, addidit ad hanc cladem civitas cœnobiorum aliquot sub mœnibus incendia, & ruinam, damnis majoribus hoc damno cautura; ne, ut promptum erat, hostili machinationi in urbem fervirent. Agrestium quoque, non contemnendam manum ex vicinia collectam armaverat, ut jam Rossemius festinationem suam majori etiam industriâ præoccupatam videret, ac triduo vix consumpto, aliis sese Provinciæ regionibus populabundus infuderit, ne inutili conatu primus belli fortunæque impetus, in urbe fortissima, tanquam in silicem adactus mucro, obrunderetur. Dum illum Rossemius per Brabantiam terrorem circumfert, adfuit filiorum regionum alter Carolus, quem Claudius Guisus Lotharingi Ducis frater stipaverat, jam victoriis in Lutheranae factionis homines clarus.

XIV. Is Lucenburgum Treviros inter atque Eburones munitam urbem adortus est, neque diu cunctandum fuit, ut Gallici juris fieret; ita periculi metus supra periculum invaluerat, pessimo exemplo, quod per viciniam latè oppidanorum animos à defensionis consilio ad desperationem impelleret, plerisque Gallos Dominos, quàm hostes experiri malentibus. Unum Ivodium palustri foris aditu, fossisque præaltis, ac Germano intus defensum milite Caroli impetum diu impunè sustinuit, visumque est Gallicis viribus durius; ut proinde hærentem Carolum, & voce Guisus, & Pater literis revocaret. Sed his expugnari generosa juvenis indoles ante urbem non potuit, cum translatis in collem proximum tormentis extremam experiri virtutem mallet, quàm inter victorias victus censeret.

XV. Minor Henricum in Hispaniam properantem fortuna exceperat. Licet enim Perpinianum, radicibus Pyrenæi accumbentem urbem, bellorum metu solutam improvisò circumfistere potuisset; tamen inutili per iter morâ, Helvetiis successuris impensâ, opportunitatem consumpsit, & hosti consilia armaque permisit. Siquidem interea Albanus terrâ, marique Mendosus militem apparatusque bellicum, urbi ad omnia imparata immiserant, totâque jam Hispaniâ cogebantur copiæ. Vastius quoque ac Auria ex Subalpinis præsidiis opem destinabant. Quæ res Henricum spe suâ deturbatum, in ancipitem deliberationem conjecit; urgenda, an destituenda inter primos conatus obsidio? Placuit porro deserere, cum res Gallicæ deteriores indies tantum obsessorum audaciæ adjicerent, quantum obsidentium timori. Satis igitur habuit salvo exercitu, quâ venerat, abire; ne detrimentum gravius acciperet, quàm inferret. Nonnulli (ut prona mortaliū est ad deteriora suspicio) promissam à Barbarossa Turcarum classem ab Henrico frustra expectatam memorant, cum terrâ marique Franciscus Hispaniam infestandam censuisset, quæ præreptis Aurianæ classis præsidiis, magno ad bellum emolumento caritura videbatur. Sed quamvis Antonio Polino Regis apud Solimannum legato, nihil industriæ ad hoc impetrandum defuisse asserant; tamen, cum Veneti, quos federis participes cupiebat Turca, duriores essent, Byzantium iter relegentem Polinum, opportunè importunè apud purpuratos & Solimannum urisse ferunt, ne Franciscum Hispaniæ fines spe classis adfutura penetrant-

netrantem destitueret, consilia fortunamque Regis hac exspectatione subnixâ everti, exploratamque detorqueri ex manibus victoriam.

Tam multus hac in re Polinus fuisse dicitur; ut offensâ, quàm gratiâ propior ab Eunuchis, acerbâ satis oratione castigatus fuerit, * quod alienam amicitiam privati tantum emolumentis Galli colerent, nullâque officij parte tot beneficiorum acceptorum gratiam ornarent, fœdera periculis commodisque ex æquo communicatis non foverent. Solimanni se armis vincere, alienis illum armis vinci cuperent, luculenta ejus rei ex proximis à Solimanno in Italiam Pannoniamque illatis bellis argumenta suppetere, ubi nemo Gallorum pro Turcis se commoverit. Quamquam & Turca illi sint, qui gallicâ ope carere possint, & beneficia profusius largiantur, quam exigant. * Polinus quamvis graviter ictus oratione, quæ ex Eunuchi quidem verbis, sed ab Imperatoris mente profecta, nec absque veritatis specie, videbatur; quod Galli hac ope seipsum, quam Turcam promotum mallent, & comoda magis belli sibi quærerent, quàm alteri faverent; tamen extremi periculi rem facturus ad Solimannum ipsum largitione sibi aditum aperuit, eademque postulata demissè exponit. Imperator nihil præ se ferens indignationis, ore verbisque ad humanitatem fictis, bonâ esse spe jubet, * opportunum hoc quidem anno expedienda classis præteritum tempus, alienâ tamen tarditate, non voluntate suâ, facturum ut sequens annus duplo, quàm postularet majori classe, & tarditatem pensaret, & testaretur voluntatem. Quæ vafre omnino, & in suam rem Turca pollicitus est; quod intelligeret, quantum ipse ex horum Regum dissidio, suis licet impensis alito, caperet emolumentum. Quo intellecto, Franciscus creditur revocandum ex Hispania filium existimasse, partemque copiarum in Italiam transfundendam, ut exoneraret Galliam, Italicumque bellum promoveret. Ita eodem anno diversis quinque regionibus hostilia Franciscus arma intulit, non levi, aut occupatarum urbium, aut rapinarum damno.

Quibus jure illa accenseri clades potuit, quæ accepta ad Pæstum urbem in Pannonia imperatorio etiam nomini infamis evenerat. Huc indictis Spiræ Cæsaris voluntate comitis armorum societate Germanos Principes Ferdinandus traxerat, ut Buda Pæstoque ejectis Turcis, Hungariam ceu propugnaculum Germaniæ rursus adderet. Nec leviter hic offendit Germanorum animos Francisci Olivarii Galliarum Regis Legati hæc auxilia Germanis dissuadentis oratio; cum primò religionis per Concilium universale, armorumque inter Reges Christianos diffidia ponenda; tum junctis in communem hostem eundem viribus esse, eo tempore consuleret, quo Rex illorum fœdus cum Solimanno, bellum cum Carolo moliebatur, per quæ tam spes Concilii, quàm Turcæ communibus Gallorum armis reprimendi auferebatur, ut aliud Franciscum loqui, aliud agere manifestum esset. Quare spreto his artibus (quas Germani execrabantur) Gallus, se ex ipso conventu ad suos recepit. Apparatus verò Germanorum contra Turcam ingens, & Heterodoxorum etiam Principum conjurata voluntas, Pontificia ad hæc subsidia, sub fortissimo Duce Vitellio, trium millium submissa, omnia ad spem ingentem spectabant. Aderat Mauritius Saxo, haud ignobilis miles, & cum Conrado Hasso Joachimus Brandenburgicus, Protestantium jam religioni auctora-

XVI.
Turcæ
Gallis
expro-
brant,
quod vi-
cariam
opem
non præ-
stent, au-
xilium
tamen
pollicen-
tur.
Vide hæc
fusus a-
pud lo-
vium l.
41. in fi-
ne.

XVII.
Infelix
Germano-
rum malè dis-
sentien-
tium in
Hunga-
riam ex-
peditio.

1542.

tus, totius exercitus delectus Imperator. Germani septem & triginta confecerant millia, his Hungari, Stirii, Itali, numero vix impari accessere. Sed tam prompta initia, primùm supremi Ducis in rebus expediendis mora; deindè periculum ubique metuens animus non parùm retardavit; cum lentis ambiguisque consiliis ad motus denique Pæsto, hosti tutiora omnia ad defensionem permiserit. Hic principio non infeliciter contra erumpentes Turcas pugnatum, quassataque urbis mœnia Vitellio potissimum rem agente; sed ubi irruptione primâ, & clades aliqua accepta, & compertum intra urbem novis munitioibus obseptum aditum, nova etiam per Dravum submitti præsidia, rem dedecoris plenam, Germanoque indignam nomine, Joachinus, multis nequicquam dissuadentibus, egit; cum tantarum virium exercitum, nullo facinore edito, in Germaniam reduceret, Hungarisque præter desperationem ad defensionem patriæ nihil reliquum faceret, ut ostentare magis bellum, quàm inferre visus sit, pristinaque virtutis ac gloriæ, cum religione mutata, jacturam fecisse videretur, nec voluisse Turcam vincere, ne aliquando à Ferdinando vinceretur.

XVIII.
Pontifex
omnia
pro pace
Carolus
pro bello
molitur.
Tridentum
Cō-
cilium
univer-
sale de-
claratur.

Hæc Europæi orbis facies erat, cum duo illius maximi Principes, omnia pro bello Carolus, pro pace experiebatur Paulus Pontifex. Ad Concilium Tridentinum (loco Germanis Principibus indulto) cogendum jam utriusque coaluerat sententia, inter Germanos Cæsarisque ac Ferdinandi Legatos, à Morono Pontificis Legato, pertractata. Neque segnis operum Paulus, vulgato per Europam diplomate, XXII Maii, anni MDXLII Synodum inchoandam decernit festo omnium Sanctorum die, quo ante quatuor & XX annos suam Lutherus Wittenbergæ in dedicata iisdem adè, hæresin fuit auspicatus. Ad quam præter Joannem Moronum, doctrinæ virtutumque nomine Germanis cognitum, Reginaldum Polum, qui Regiæ & Britannicæ originis splendori, facundiæ singularis, innocentiaque Christianæ famam adjecerat, tum denique Paulum Parisium utriusque juris cognitione illustrem, Senatorii ordinis Cardinales, quam primùm destinati. Neque in Cæsare mora fuit; nam Tridenti haud multò post magnus Cæsaris Cancellarius Granvellanus aderat, urgebatque Concilii initia, ratus conspiratione synodicâ Pontificios, à Francisci partibus ad Cæsarem inclinandos, ac proinde acri in Gallorum cum Turcis confederationem oratione, per filium Episcopum Atrebatensem habitâ, investus, quâ & Synodi hujus per Episcoporum absentiam evanescentis impedimenta, hæresumque invalescentium incrementa, ad unius Francisci Regis, per iniquâ Pontificis gratiâ, in perniciosissimis Christianæ Reip. turbis freti, pertinaciam derivabat. Ut qui violatis armorum induciis, interceptoque Archi-Episcopo Valentino, belli non Synodi cogendæ secum consilia agitare. Sed & Carolus omnem movebat lapidem, munerum jam pridem officiorumque in Pontificem largus; ut suis contra Franciscum opibus eum addiceret. Ita Novaria Pontifici obvenerat: ita Nepoti Octavio, opes Medicæ, cum Cæsaris filia, concessæ; sed ubi beneficentia inexpugnabilem virum sapientissimum reperit, favore in offensionem verso Hispanis lege vetuit; ne quam Pontificis auctoritate imperatam Sacerdotiis pecuniam exsolvent, hiberna etiam proximè di-

tionem Pontificiam admoventi est passus, Fabritio Columnâ, & Francisco Urfino exulibus haud procul ad terrorem Romanorum agentibus. Scripsit & Cæsar ad Pontificem literas bile in Franciscum atque exprobratione factorum perquam acerbas, ubi violatâ illum fidei, pacis, religionis, conspirationis cum immanissimo Christianorum hoste in communem Europæ perniciem accusat. Quæ deindè Franciscus vulgato ad sui purgationem scripto, acri aceto diluit. Apostolica illi exprobrans sedis cum Clemente oppugnationem, tentatamque cum Solimanno, etiam annuo stipendio oblato amicitiam, quæ sibi gratuito deferatur. Quorum tamen postremum à Caroli magnanimitate nimium abfuisse visum est.

Ut lacerata utrimque Regiæ dignitatis fama, ad publicam extaret contumeliam, eoque jam odiorum processum esset, undè non facilis apparet ad conciliationem receptus. Addidit his omnibus non satis dignum pietate ac constantiâ pristinâ Carolus facinus, ac gravissimum religionis, & sanguinis hostem sui, Henricum 8 Angliæ Regem ad belli societatem contra Gallum traxit. Tantùm æmulatio cum affini ac consanguineo Rege suscepta poterat, ut agnati sanguinis jura incestis nuptiis, religionis dignitatem fado schismate temerantem Regem, ad amicitiam admittere, quàm vim Francisci armatam refutare mallet. Ita justè olim conceptam in Henricum indignationem, recentiori in Franciscum indignatione velut tormento pyrro in ardens infumibulum immisso, consumpsit. Nec Henrico hic ingratus sui favoris ambitus erat, undè familiari symbolo usurpare visus hoc lemma fuit: *Cui adhæreo præest*; quod armato Anglo inter Hispanum Gallumque stanti inscripserat, arrogantiam tamen, quàm virtute majori. Inter tot bellorum irritamenta adhuc Pontifici consilium fuit, animum Caroli pacis suasionem pertentare, ratus ad ultimum suum conatum Barbarossæ, ingenti Turcarum classe, Italiæ imminentis vim non parùm momenti allaturam.

Et Bononiam quidem iccirco contendit Pontifex summis in illo ætatis viarumque incommodis. Jam enim Carolus rebus in Hispaniâ constitutis, postquam regio titulo Philippum filium sedecennem præfecerat, Barcelonâ Genuâ deferebatur; sed vix altero apud Cæsarem Legato obtinuit Pontifex, ut se conventum velleret; quòd inutiles morâ, ac vano pacis studio tempus bello decretum absumentum negaret. Triduum denique ad communicanda consilia pacti Buxeti Palavicinorum oppido XXIII Junii anno seculi XLIII haud procul Parmâ convenere. Hic ubi Paulus omnem frustra conatum in avertendo ab hoc bello Imperatore consumpsisset, majorique indignatione in Clivensem ferretur Principem, quàm ut ab ejus ultione in Turcam deflecti abs se posset: denique postulavit, ne priusquam abscederet, Marinum Grimanium Cardinalem hac de re differenterem audire detrectaret; tum si quid adversæ opinionis foveret, id propalam in Senatu exponere ne gravaretur, ut orbi innotescat, quibus argumentis à communi hominum sententia deflectat, fore, ut eâ facilitate vulgatæ per Europam pertinaciæ famam non nihil moderetur. Nec Cæsar, animi rationumque certus, hic tergiversari est visus, ne æquitati causæ putaretur diffidere, aut agere, in luce sapientum, erubescenda, Quocirca advocato Cardinalium senatu Grimanius

inter

Reges
H. &
Gall. mu.
tuis scrip
ptis va
ri sibi
invi. em
expro
b. nt.
Schleid. l.
14. &
Collector
Epistol.
Terc. l. 9.
XIX.
Carolus
Henrico
Anglo
religio
nis & sã
guinis
sui hosti
jung tur.

An. 1543

XX.
ontifex
Carolus
Buxeti
convenit
sed tamẽ
ad pacem
nequit
inflecte
re.

1543.
Oratio
Grimani
Card. pa-
cis suaso-
ria.

Iovius l.
43. Epist.
Turc. l. 9.

inter illos eloquentiâ ac dignitate facillè Princeps, ita fertur locutus. * Cùm gra-
vissima nobis rei suscepta tecum deliberatio sit, Augustissime Caesar, & hinc Turcarum im-
manissimâ gente, inde rebellium insolentia, tua potissimum laceffatur virtus, Romana peri-
clitetur religio: indignari nobis, ac sanctissimo in primis Pontifici nostro, jure nemo poterit,
pacem tanto hæcenus opere inter Christianos orbis Principes querenti, atque etiamnum
votis consiliisque extremis perurgentem. Quid enim? ut a quo animo hosti barbaro, Christiano-
que nomini insensissimo, Europa libertatem, religionemque impunè divexandam permit-
tas? Iam Pannoniam obtinet, postquam fratri tuam opem imploranti defuisti, & alienarum
extra Europæ limites, terrarum desiderio proventus, nec eas possedisti, nec retinuisti proprias.
Iam rursus à tergo Barbarossam ingenti classe Sicilia Italiaque oris imminentem relinques
& quem non ita pridem tuis peregrè armis provocabas, nunc domi intraque Imperij limites
insolenter in subditorum capita fortunasque grassantem perferes. Quid existimabimus, ô
magnanime Caesar, hostem te fugere, an persequi? unius tu Juliae Principem ignobili vindictæ
cupiditate, ad rebellionis luendæ pœnam vocas, hostem post te gravissimum totique Europa
formidandum deseris. An is tibi Guilielmus videtur, non magna regionis Dominus, cui unâ
cum exercitus tui robore objicias Carolum? is verò Barbarossa, tot Christianorum nobilitatus
gladibus, tantisque, quantis imperium Turcarum valet, subnixus viribus, cui paucos tuorum
opponendos relinquis? Hanc, istâ, qua es animi magnitudine præditus Imperator, de te fa-
mam negligere poteris, qua arma te, à fortissimo hoste, in imbecilles, à gravioribus belli re-
gnorumque periculis, ad certiora tantùm explorataque magis victoria discrimina converte-
re memorabit? Nescis fortasse, quo animo, quâque existimatione non pauci te nuper sum
prosecuti, cùm destinata sub extremo armorum periculo Pannonia, deserto fratre, regno-
que Austriacis hereditario, neglecto religionis discrimine, velut pristina virtutis gloria
que immembris, aversus in Africam contendebas. Hic te non obscuro homines Solimannum in
Europa timuisse asserabant, cùm illum in Africa quæres, istic bellum declinasse, ubi armo-
rum gravior strepitus; movisse alibi, quò spes magis victoria, quàm necessitas pertraheret.
Quam denique profectiorem, tuâ unius voluntate susceptam, cùm neque Superi approbarint
ostenderint que, & sine hoste vinci te ac superari posse, qui Divis olim faventibus, maximas et-
iam barbarorum copias solo aspectu in fugam vertisti; quid est, cur adhuc benè consulenti-
bus, ad intestina dissidia pace abolenda, difficilem te exhibes? Servatum ego te nobis in illa e-
lementorum omnium adversus caput tuum conspiratione, in illo adversitatum concurren-
tium impetu, singulari Numinis destinatione arbitror; ne tam infelici exitu, ante acta etatis
gloriam cum vita sepelires, atque is denique esses, qui vindicta libidine refrenatâ, privatisque
affectibus, publicæ quieti substratis, de se ipso nobiliorem, quàm ab ullo unquam homine re-
portaret victoriam. Vt pro pace atque incolumitate Europa decertasse hæcenus te homines
intelligerent. Quid bellis nisi pacem securitatemque regnorum querimus? Felicissimus ille
bellator est, qui citissimè hanc occupat, magnæ in hostem victoriae quædam tantùm morta-
liū laniæ sunt, ubi spectatæ pacis felicitate destituuntur? Hæc pro ea, quâ polles, animi pru-
dentia, ignorare nequis, pro illa, quâ vales æquitate, non potes aspernari. Hæc ipsa tua oratio
est, quâ te arma induisse fateris, ut deponeres: hostem mactasse, ut civem servares; sed enim
unum tuis sese conatibus Gallum objicere quereris, alienæ obrectatorem gloria, quietis
publicæ turbatorem, hunc, nisi armis, ad quietem compelli non posse. Est hæc gravis, inclite
Caesar,

Caesar, accusatio, sed quâ graviorem etiam in te ille retorquet. Italicas sibi possessiones per vim extortas abs te queritur, Mediolanum repetit, beneficiario illud etiam jure si jubeas, possessurus. Hoc unum si velis, pacem, opesque etiam suas in communem Christianorum hostem, tibi que rebellem haeresim pollicetur. Vide quantillo regnorum detrimento, quantum emolumentum ad totius Europae tranquillitatem obtineas. Hoc si dudum admisisses, jam Pannonia integra, Africaque magnâ sui parte abs te possessa, fracti Germanorum rebelles, domita esset Turcarum ferocia, domi omnia pace, foris armis possideres. Jam Byzantium Solymasque inter vos partiri potius, quàm Italiam liceret, cum Europa inviolata staret religio, neque barbarorum immanitas nostris crudelissimè cervicibus insultaret. Quin agis atque etiamnum à Gallis in Turcas, à Christianis ac consanguineis in barbaros, & nomini Romano juratos hostes odia convertis? nondum errorem admisisti poenitentiam nullâ corrigendum. Deponet arma Franciscus, ubi te mitiora consilia amplecti, animumque ad quietis artes transferre intellexerit, fidem dabit, & ne quâ hac fraude interverti deinceps possit, maximi Europae Principes, Veneti, Pontifex ipse, sponsores Vadesque servandorum federum intercedent converfuri in violatorem conjurata partium arma. Hoc ut velis faciasque à te Veneti, & jure federum, & periculorum, quae cum tota Europa subeunt, magnitudine inducti postulant. Hoc Sabaudia Princeps Carolus jam septennio integro disidentium inter se Regum oppressus armis, injuriâ tantò acerbiori, quod noxae omnis innocens, medius ipse duorum propinquorum exitiali odio decertantium, cladis poena, ac victoria videatur primum. Hoc denique tot regna ac provincia, quot tuis auspiciis moderaris Caesar, longâ bellorum tempestate jactata, exhaustis arariis, everfis urbibus, agris devastatis, enixè postulant, ut tantisper sub tributorum onere, militum licentia, hostium ferocia, respirare in tantis malis liceat. An Pannonum lacrymas, Germanorum preces, liberas piâque Italia voces, contra invalescentem haeresim Turcicamque immanitatem, fidem tuam opemque implorantes, contemnere poteris? An optimi sanctissimique Patris nostri aversari consilia, vota atque auctoritatem, probis semper Regibus observatam, negligere? Ne, obsecro, tantum apud te valeant, aut concepta in hostes odia, aut regnorum cupiditas, ut aequitatis potius, quàm injuriarum oblivisci cupias.* Hæc Caesar, eâ obfirmati animi sententia in bellum excepit, ut neque gravissimi senatus auctoritate, neque disertissimi viri facundia, nec denique incommodorum oculis animoque obversantium gravitate, quicquam ab ea dimotus, responderit.* Pacem esse, quam tanto bellorum molimine in sago quaesiverit hætenus, in toga nunquam repertam, arma se potissimum gerere, atque etiam stringere in barbarorum capita; neque quicquam ante Europae quietem habiturum, ut tutius fortiusque in communem Orthodoxae religionis hostem, grassari possit. Luculenta ejus se rei, per Hungariam, Græciam, Illyricum, atque Africam reliquissè exempla; sed passim à tam justa, nec infelici armorum expeditione, aliis atque aliis Gallorum injuriis revocatum. Infestissimam hanc esse Austriaco nomini gentem, emulatione invidiâque alienae gloriae caecam, nullâ sanguinis communionem, nullâ federum sanctitate ad stabilis fideque amicitiae cultum traducendam, ex commodo hanc suo fidem, tam facile amplecti, quàm repudiare: jurato Christianorum hosti Solimanno contra Europae salutem adhærescere, quàm de sua quicquam cupiditate malle remittere; tam crudeli potius inimico, quàm consanguineis favere regibus, inexplorabili Europea gentis dedecore, & Christianorum excidio. Nec satis iis se nunc etiam consa-

Respon-
sio Ca-
roli pa-
cem re-
cusantis,

1543.

liis armisque adjungere, qui harest, aut rebellione caci, aqua imperia Caesaris afferentur. Hinc Germaniam tot afflictam cladibus, ac seditionibus turbatam; inde rapinis incendisque Prædonum excisam Brabantiam, opem modò suam auxiliumque deposcere. Hac ut impune perferantur, neque dignitatis, neque equitatis leges permittere. Compertum jam pridem sibi, neque obscure ex imperatoris comitiis orbi cognitum, quò isti Gallorum ad Romanis aquilas aspirantium ferantur impetus; auro tum quidem oppugnasse Principum animos, illorumque favorem, coemisse pretio; nunc & clam insidias, & propalam ferrum admoveere. Sed ambitionis tum quidem suæ, nunc etiam audaciæ sumptus ignominiamque toleraturos. Nullum superesse nisi ab armis remedium, Gallia Cisalpina possessionibus sine magna regnorum clade abire se nequaquam posse, hac tam stultâ liberalitate, alieno Regi suis in Italia vires permitti, liberæ sibi terrâ marique profectioes interverti, ut ex Hispania Germaniæque ultro citroque commeandi expedita facultas, nisi precario obtinenda, non relinquatur. Malle se Imperatorium ante munus, quam usque ad eam dignitatem abjicere: ut alieno jam beneficio, ac dubiâ clientium fide, hospitium partusque sibi aperiri patiatur, non hoc dedecus factorum transmissurum ad posteros Carolum, dum sceptrum moderari manibus, atq; arma possit. * Ita acuate facundiam bile ad ea commemoranda proventus est Cæsar, quæ Romæ quondam, Nicææ, Lucæque pacem suadentibus exposuerat. Ut proinde frustra consiliis humanis oppugnari Carolum, certâ animi obstinatione immobilem, Pontifex animadverteret. Regi tamen Ferdinando opibus se suis ad futurum pollicitus, ne in extremo Hungariæ periclitantis discrimine, desertus à fratre, crudelissimo hosti præda fieret. Neque intra promissionem fides substitit; cum haud multò post triginta cohortes, ad Norici defensionem destinaret. Desperato pacis negotio, post dies aliquot huic frustra impensos, Pontifex Bononiam, Cæsar in Germaniam se vertit. Unde imminente jam Turcæ, & desperatis Concilii Tridentini successibus, quod Catholici belli metu, A catholici Pontificis autoris odio declinabant, Cæsar denique Oratores deseruerant, Paulus revocatorio suorum Legatorum diplomate, nondum inchoatum VI Julii in opportunius tempus rejecit, ratus telam se malè orsurum, quæ vel cohæsurâ non esset, vel cum ludibrio retexenda.

XXI.
Barbarossa cū
ingenti
cl. ff. Ni.
cc. m. al.
la, su.
nihil ef-
fic. t.
* Verba
Iovii.

Adiensis
Iovius.

Eodem ergò tempore à Pontis Insulis ad Ostiam Tiberinam Barbarossa appulit, qui tantam Romæ vicinisque populis trepidationem incussit, ut nisi Polinus Galliarum Regis Legatus literis Romam perscriptis, consternatos à pavore revocasset, urbs brevi deserta populo defensioneque omni caruisset. Hæc literas sententiâ ad Rodolphum Legatum dederat. * *Classis quæ à Solimanno ad præsidium Gallie, Barbarossâ præfecto mittitur, & præscripto mihi paret; ut nemini, præterquam hostibus nostris noceat. Itaque edicito Romanis, cæterisque Pontificie ditionis oram incolentibus, ut nihil hostile à nobis timeant. Nusquam enim fidem ab eorum Imperatore præclare ditam Turcæ violabunt, & vos pro comperto habetis Franciscum Gallie Regem nihil habere antiquius, quàm ut rem Romanam non incolumem modò, sed maximè florentem ac idè ab omni impiorum injuria defensionem velit.* * Quamvis autem literis vix fides habita, eventu tamen confirmata est, cum triduò post Barbarossâ motâ classe Etruriæque ac Liguriæ oram, sine accolarum noxâ, (secus quam in Neopolitana sedè de-

devastata fecerat) prætervectus, Massiliam cursum instituerit. Ubi nondum expeditis Francisci consiliis, moram impatientissimè tulit Barbarus, quòd post tanta Oceani transmissa spatia, omnis illi cum tempore opportunitas elaberetur, nihilque emolumenti Regi ad victoriam, sibi ad gloriam allaturus videretur. Niceam denique urbem, Sabaudò olim pignori traditam, & bellorum illic fontem, adjunctâ Gallorum classe aggressus est. Ubi Polinus cives ante nequicquam promissis pertentasset, viribus bellicis agi cœptum est, eâ Turcarum industriâ, ac expeditâ, cum aggeres instruendi, tum dirigendi tormenta ratione; ut Gallorum opera illis collata vilesceret, neque obscuris Turcarum convitiis notaretur. Accessit neglecta à Gallis tormentarii apparatus copia, quam, quòd à Turcis mutuari coacti, tantam Barbarossâ bilem conciverunt, ut Gallicam societatem detestatus homo barbarus, reditum suis denuntiaverit, quem infimis precibus obsequiisque tantisper Polinus retardavit, dum interceptis ad urbis Præfectum literis, Alphonfi Vastii ex Italia adventus nuntiaretur, tum enim verò trepidatio indignationi addita, subito Turcas ad abitum convertit; licet jam urbs in potestatem redacta, arcisque, sed naturâ loci ac Præfecti Pauli Simeonis constantiâ, imprimis munitæ restaret expugnatio. Substitit tamen Barbarossâ Tolone, magno istic procerum studio, ac Provinciæ impendio, per hiemem alitus; classis verò pars in Hispaniæ littora prædatum emissa, magnis ditata spoliis Algerium se contulit. Barbarus anno insequenti faniori Regis consilio, quam accersitus fuerat, missionem accepit. Magnis hic cultus muneribus, à Gallis, atque etiam à Genuensibus, quos intactos reliquit; sed Etruscis, Brutiis, Liparæque Insulæ revertens ingentem hæc classis intulit cladem, fidesque illa Turcica, quam Franci nuper prædicabant, insigni perfidiâ absoluta est. Christiani passim tanto numero in servitutem adducti sunt, Gallis nequicquam deprecantibus, ut fame mœroreque confecti, totum mare, Byzantium usque, cadaveribus insternerent, neque se aliter, quam Christianorum exitio pro Christianis pugnare ostenderent. Vastius ubi cum Sabaudò Niceam spoliis flammisque vastatam invisisset, & Præfecti Simeonis virtutem, & barbarorum operâ super Europeorum solertiam prædicasset, collectum militem in Montevici oppugnationem vertit, quod, cum ad vim, literarum confictarum fraudem adjunxisset, deditio accepit: indè ad vicina Astæ oppida conversus, ea Gallorum armis jam pridem erepta, suæ rursus potestatis fecit. Ita Franciscus denique comperit, quo ad famam ac fortunam emolumento immanissimi hostis prælidia evocaverit, quæ, Superis hanc temeritatem improbantibus, ingentia pro auxilio damna, pro speratâ victoriæ gloriâ, æternum Christiani nominis dedecus reliquerunt.

Carolus Imperator accelerato in Germaniam itinere, Bonnæ Ubiorum ad Rhenum oppidò tantisper substitit, dum coactus & census lustratione miles est. Itali Hispanique pedites ad octo pervenere millia, erantque Germani alterâ his parte auctiores; sequitur omnes dena constabant millia, qui exercitus Aurantii, Belgarum ductoris copiis ad quadraginta & sex millium numerum excrevit. Hoc Duram movit Juliæ oppidum haud sanè ignobile, egregiâ verò Ducis Gu-

Italiæ
magna
clades à
Turcis
illata,
nullo
Gallicò-
modo.

XXII.
Carolus
Iuliz
Ducem
Guilielmum
bello
petit, & Du-
cra per
vim oc-
cupata,
cetera
per Iuliam
Cliviamq;
oppida
prona
habuit.

1543. *10v l. 44*
Surtius in
comm.
Ha 411
inCarolo.

lielmi opera adversus vim omnem hostilem communitum. Præter murum cœ-
 ctili ex latere eductum, fossâ duplici, valloque, intra utramque fossam ad muri
 fastigia assurgente, cingebatur, quo stante nulla vis muro adhiberi poterat, occu-
 pandi verò aggeris difficilis ratio, quòd propugnaculis ad defensionem oppor-
 tunis, tormenta, per omnem late aditum, ita explicasset; ut sine præsentem con-
 scendentium pernicie obtineri non posset. Cæsar ad omnem occasionem rei be-
 ne gerendæ circumspexit, quòd gentis maximè pugnacis ingenium, non igno-
 raret, recentem etiam suorum id clade expertus, cum equitum alam, simulatione
 fugæ, in silvarum angustias deductam magnâ clade multasset, binis Præfecto-
 rum occisis, ac Zucero, veteri militiæ Duce, intercepto. Nec deerant qui ex ve-
 teri historia Julii Cæsaris cladem à Titurio Sabino & Caio Cotta haud procul
 Dura acceptam, his populis tribuerent. Fama etiam Martinum Rossemium, ex-
 plorata audaciæ ac felicitatis militem, validissimo instructum exercitu adven-
 tare memorabat. Neque segnis urbem Præfectus, Flattes nomine, tuebatur, qui
 ad omnem vim egregiè paratus, præter subsidiarium militem idoneam bello ju-
 ventutem, totâ urbe armaverat. Quocirca hostium consiliis, ac munitione inspe-
 ctâ Cæsar, celeritate utendum, ac viribus primùm omnibus incumbendum ra-
 tus; ut vi juxta ac terrore adversarios premeret. Nec fefellit ratio, Hispanis enim
 Italisque ad prima pericula, & corporum agilitate & animorum præsentem virtute
 expeditioribus, urbis invadendæ negotium occupatum magis, quàm delatum
 fuit. Hi enim æmulatione quâdam virtutis, ac laudis contentione excitati, cum
 tormentis quadraginta, totam penè diem quassata urbs, ac nudata parte unâ pro-
 pugnaculis & defensoribus esset, nullo accepto signo in priores sese fossas infu-
 dere, ac superatâ, quæ ad umbilicum pertingeret, aquâ, vallum certatim adire.
 Nec impunis hæc fuit audaciæ; cum ingens vallo incumberet glandium procel-
 la, quâ in exteriorem pauci, alii in anteriorem fossam, aut casu, aut impetu de-
 volverentur; ut Ferdinandus Gonzaga, proximâ Cæsari potestate omnibus Præ-
 fectus nequicquam contra hanc temeritatem suo imperio obniteretur. Sed enim
 perstiterunt illi revocato impetu, hastisque ac scalis, in proximam muro foveam
 delati, neglecto multorum interitu, ad mœnia natatu penetrarunt: observaverat
 Cæsar, ex adjuncta muris domo ingentem dari stragem per aggerem fossasque
 enitentibus. Hanc Magistri tormentorum oppugnare iussi, tam illud egerunt
 feliciter, ut convulsis emotisque tecti fundamentis defensores omnes unâ do-
 mus ruinâ sepeliverint, tantâ luculeatiore hominum plagâ; quòd cum Flatte
 urbis Præfecto in ceteris spem magnam defensionis oppresserint, ita ubi segnius
 propugnari est cœptum, Hispani Italisque per objectos ignes & flagrantia pice
 vasa sese in mœnia ac urbem, aulu ac celeritate maximâ intulere. Ubi neque ci-
 vium, neque militum cuiquam parcitum est, ne suorum sanguinem, quos infra
 sexcentos non amiserant, vili hostiâ compensarent. Neque hic substitit clades,
 sed vel fortunâ, vel indignatione victoris ad mota faces non domos modò, sed &
 Divorum basilicam nobili elatam opere in favillas converterunt tempore hoc
 Chronodisticho comprehenso:

Du-

DVra InCensa IaCet , DVra CerviCe rebellis,
qVo rVIt , aVgVstI Mensis , & ensis erat.

Profuit hæc Cæsari acerbitas, ad expeditam de reliqua natione victoriam, siquidem ejus humanitatem, quam arma experiri plerisque consultius visum est. Unde Julia cum, Ruræmunda, ac Venlona urbes, Cæsari castra admoventi, citra vim, patuere.

Guilielmus ipse desperatâ belli fortunâ, & popularium, liberâ voce pacem expostulantium, adductus studio, Carolo Venlonæ supplex factus, in Victoris mansuetudine solam spem habuit. Qui licet Brunsvico & Aurantio deprecatoribus apud Cæsarem uteretur, prostratusque ad tribunal illius, pedesque jaceret, veniam incautis adolescentiæ erroribus flagitans, vocem tamen ab immoto ad omnia Cæsare non obtinuit; nec alia demùm veniâ donatus est, quàm quæ illi Geldriæ Principatum adimeret, ac solam sub Præfecti nomine administrationem relinqueret, additis his pactionis legibus: *ab Ecclesia veteris atque orthodoxæ religione ac ritibus ne discederet, mutata ad pristinam consuetudinem revocaret; jure fiduciario Belgarum Principi obnoxius devinctusque maneret, fidem obedientiamque Cæsari ac imperio promitteret: federibus Danicæ ac Franciæ Regum obnuntiaret: Geldriæ Ducatu ac Zutphania comitatu Cæsari ejusque heredibus in perpetuum abiret. Contra, Julio-clivensem Ducatum Cæsar redderet, Heinsbergâ & Sittardiâ exceptis; donec Guilielmus promissam Carolo fidem abundè probasset.* Fuere qui tam probrosam pacem omnibus belli periculis posthabendam censerent, quando peritissimis belli Ducibus Longavelleo & Rossemio fretus Princeps, oppida quoque castellaque non pauca, contra hostilem impetum egregiè munita, possideret; Gallorum denique subsidiis niteretur, jam antè promissione oblatis. Guilielmi certè mater, virilis animi femina, ignominiosæ subjectionis impatiens, indignatione mortem acceleravit. Verùm sera post accisas jam vires & amissam in hostis manibus libertatem, obluçtatio, quæ vincula quidem adstringeret faciliùs, quàm excuteret. Hanc tamen severitatem, aliâ rursus humanitate temperare atque emollire conatus est Imperator: cum illi conjugali federe Mariam Ferdinandi Romanorum Regis filiam sociandam promitteret, si Vandomii Galli Ducis filia, ob mutatam fidem, ejus thalamo, quod libens fecit, obnuntiasset. Quæ deinde nuptiæ post biennium Ratisbonæ conciliatæ sunt, additumque à Cæsare privilegium, quo feminæ, (quod inconcessum hæctenus) deficiente virili sexu, in hereditate succederent.

Quo verò jure has sibi provincias vendicavit Carolus, operæ pretium fuerit sua ex origine deducere. Carolus audax Philippi Ducis Burgundionum filius, Belgarum Provinciarum heres, Burgundiam, Brabantiam, Flandriam, Limburgum, Lucenburgum, Artesiam, Hannoniam, Namurcum, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam, Marchiam, ditiones regno non impares, possidebat. Hic Geldriâ, Zutphaniamque proximas, opportunasque ad Rheni Mosæque possessionem provincias emptione addidit. Postquam Arnoldus earum Dux aversus filio Adolpho, cujus in vinculis captivus pater sexennium duxerat, jure illum hereditatis

XXIII.
 Guilielmus Dux
 supplex
 veniam
 ceteris sed
 duris cō-
 ditioni-
 bus im-
 petrat.

XXIV.
 Quale si-
 bi jus
 Cæsar
 quæ Dux
 Burgun-
 diæ in
 has pro-
 vincias
 vendica-
 rit.

1543

tatis exuisset. Sed utroque horum morte sublato, Arnoldus Adolphi filius ad vim auxiliaque bellorum conversus, imparibus deinde armis Carolo succubuit, se successione penitus deturbatus. Verum Geldri Zutphanique, veterum amantes Dominorum, ad ejusdem familiae ex posteris Ducem Carolum rediere, infestisque per Belgium, agrumque Ultrajectinum, effusi armis, Imperatoris Caroli absentiam ad suas victorias opportunè utebantur, dum postremum Carolo Geldriae ac Guilielmo Cliviae Ducibus superatis, hac possessione rursus abirent. Ultrajectina etiam ac Transisulana Provincia, reparandis belli sumptibus, à Caesare Belgio adjicerentur, Henrico Bavaro Antistite Ultrajectensium sponste eas concedente, quibus auctarii loco Groninga accederet. Ita amplificatam Belgarum gentem Carolus in regni formam corpusque sub unius capituli administratione componere statuerat: nisi diversissima tot nationum ingenia, aliis aliisque permittenda legibus, consilium disjecissent. Nam ad eandem regendi parendique disciplinam adstringere Gallicae Germanaeque gentis indolem, non minus linguam, quam moribus dissidentem, quaedam etiam aemulatione gloriae studiorumque divisam; id verò difficile, neque diu ad posteros propagandum opus videbatur, cum quaeque & leges alienas, & homines non suos, vix in imperio toleratura esset: quod servitutem interpretemur nostram, peregrina in nos gentis dominium; & obsequium debere malimus nobis propioribus, amore magis, quam metu conciliandum, quorum hic diuturni custos obsequium nunquam est creditus.

XXV.
Carolus
Rossemius
Duce auctus
in Belgio
contra
Gallos
arma
transitu
lit, ac
Landre-
sio fru-
stra ten-
tat, Ca-
meracum
obtinet.

Rossemius, Guilielmo Principe ad Caesaris voluntatem coacto, fortunam secutus, Imperatoriae sese addixit militiae; culpam omnem novo facile obsequio pensaturus. Nec cunctatus deinde Caesar in Belgium contra Gallos arma vertit ac Landresium, egregio recens opere à Gallis communitum, aggredi Gonzagam jussit; ipse valetudinis gratiam Querceti substitit. Huc alter è Belgio exercitus Arescotto & Burano Ducibus; huc & Britannicae copiae sub Galoppo ex federe confluerant: ut tribus jam locis ab exercitu triplici urbs una peteretur. Turris erat mœnibus adjuncta, in qua praecipuum incolarum ad defensionem robur erat. Hanc irritò diu labore ac frustratis tormentorum ictibus quatiebant, dum illa, praeter firmitatem operis, humo expleta, hostilem facile conatum eluderet. Interea Franciscus ingentibus adesse copiis nuntiatur. Gonzaga, quem amnis à ceteris dividerat, suas Arescottum Galoppumque in partes invitat, ut junctis hosti castris obsisterent; sed cum frustrato id consilio apud pertinaces, rerumque usu imperitos tentasset, ipse indigna licet postulantibus traducto milite accessit. Nec moratus diu Franciscus, instructo exercitu Landresio se admoveat, pugnae aleam subiturus potius, quam urbis periculum neglecturus. Stabat distributus in aciem Caesaris miles, sed ubi nihil loco moveret Rex Brisaccum Decarsumque equestris armaturae Duces, in hostem destinat, qui levibus eum praeliis, tanquam justo certamini praelufuri, occupent, ipse interim dextro cornu latius explicato, commeatum sensim novumque urbi praesidium impunè intulit. Quod Gonzaga loci opportunitate exutus, Caesarem ante cum aliis Rossemii ac Mauricii copiis expectandum censeret, quam suos audaci paratoque militi cum discrimine objiceret.

jiceret. Rex voto potitus, exercitu ad Castrocamerocestum reducto, novo ausu ac penè temerario subitit, hosti pugnandi copiam facturum, & Cæsar quidem festinatis auxiliis adfuit, pugnaeque avidissimus castra castris objecit, inter quæ minoribus præliis ancipiti fortunâ concertatum sapius, vix ut tenebræ ad ardorem certaminis infringendum sufficerent. Sed ut plenis eos castris Cæsariani aggrederentur amnis interjectus prohibebat, cuius transeundi consilium cum in diem sequentem rejecisset Cæsar, Franciscus suo se officio functum abundè ratus quod Landresium periculo exemisset, motis secundâ vigiliâ castris, tacito abitu omnes fessit, cum ignibus impedimentisque nonnullis relictis exercitûs speciem, hosti excubanti faceret. Ita spe suâ atque expectatione dejectus Cæsar, postquam Cameracum occupasset, hieme jam urgente in hiberna militem divisit, Ferdinando Gonzagâ ad Henricum Angliæ Regem legato; ut eum quam maxime in Gallum copiis sequenti vere invitaret.

Ipsè Spiram ad indicta Germanis Principibus comitia abiit. Inter hos Caroli labores, Hungaria, milite necessario destituta, Solimanno in prædam cecidit. Is enim felicitia ejus regni obtinendi auspicia urgenda ratus gemino exercitu adfuit. Alterum duce Amurathe Valponii muris admovit; quod cum vim Turcarum non ferret, deditione incruentâ transit. Soclenses ubi obfirmatiùs restitissent, Hungariæ nobilitatis virtute defensi, excidio fortunarum ac vitæ ultimo multati sunt. Altero exercitu Solimannus ipsè consecutus, junctis cum Amurathe viribus, Strigonium primò, ac deinde Albam regalem aggressus est, fortissima regni munimenta; sed quæ contra ingentes hostium vires parem non adferrent constantiam, ubi spes nulla auxilii, extrema licet perpeffuris, affulgeret. Torniellus quidem cum parvis copiis, quas sub Ferdinandi Regis auspiciis ex Italis Germanisque potissimum ducebat, propius hostem accedere non ausus, urbes aliquot suis præliis munivit; sed ea fuit Turcarum, cum potentia, tum solertia, ut expugnationem utriusque haud multo tempore absolverint, Ferdinando sera Torniello Bohemorum auxilia submittente. Ita denique urbibus totius Pan-

noniæ nobilissimis Rex barbarus potitus, Budâ videlicet, Strigonio & Albâ regali, iisque novo opere, contra omnem recipiendi spem communitis, toti imperio metuendus esse cœpit. Hæc tam luculentâ clade rei Christianæ inflictâ, dolere merito alii, nonnulli etiam latari sunt visi, quòd Europeos inter se Principes stultâ amicitiatione dissidentes, aliquo demum, aut pietatis studio, aut certè ignominia pudore, ad sanæ mentis concordiaque necessaria consilia revocandos existimarent.

Non tamen hæc Carolum ac Franciscum à meditatiis bellis avocare potuerunt. Urgebat Rex illud in locis Subalpinis majoribus per Franciscum Bor-

XXVI.

Magna Hungaria reliquæ pars Strigonium, & Alba Regalis, à Solimanno occupatur.

Iov. l. 42.

S. 43.

Isthuanff.

verum

Hung. l.

15.

XXVII.

Bellum Gallus in Italia, non sine successu, promovet.

11011

non contemnendum accepit, atque obviam progressus hosti ad pugnam se offerenti, cruento satis praelio, inferior extitit, quod Scaligeri cum Germanorum copiis, in quibus potissimum exercitus sui robur collocaverat Vastius, minus praesenti virtute adversariis obstitissent. Ea tamen accepta ad Ceresolam clades pensata utcumque est Petri Strozæ prope Dorthonam strage, quâ collectum ex Italia suis stipendiis militem magna parte amisit, priusquam aliquod Francisci rebus emolumentum adferret. Anghianus verò magnis per victoriam progressibus auctus non est; quòd debilitatis copiis, Pirrhi constantiam vix crederet infringendam; Ducum tamen magis, quam suo consilio ad Cariniani obsidionem reversus, longâ defatigatione ac fame vires animumque Pyrrhi ita fregit; ut is denique honestis pacis conditionibus extrema periculorum posthaberet,

XXVIII.
Pontifex
ab utro-
que Re-
ge pluri-
bus de
causis
offensus,
nec fave-
re utri-
que, nec
adversari
poterit.

Hæc Europæ species duorum inter se Regum, pertinaci contentione, alternisque cladibus defœdata Paulum III. Pontificem, dolentem nequicquam obluentemque, & distrahebat animo, & iusta in utrumque indignatione inflammabat. Probrosam noxiamque Christiano nomini hinc Francisci cum Solimanno, inde Caroli cum Henrico Anglorum Rege, inimicissimis Pontificii, Austriacique etiam nominis hostibusolvebat animo, exitialemque utrorumque Regum amulationem, quos neque cognatio sanguinis, neque religionis communitio prohiberet, quò minus ad capitales, tum gentis, tum fidei suæ hostes deflecerent, mallentque extremis inimicis, quam consanguineis animo ac societate copulari. Tantum in amplissimarum regionum possessoribus, unius Mediolani desiderium poterat, quâ possessione destituti, ceu pauperes, indigique unius ducatus Reges, non ab animis tantum suis (quod leve existimari poterat) sed regno, imperioque Europæ totius, quietem proscribebant; Ecclesiæ, propriisque sese hostibus, ad turpe armorum subsidium impetrandum, precario submittebant; hæresi pacem, religioni bellum, vim excidiaque tot templis arisque ac Monasteriis everfis inferri patiebantur; ipsis Dei inimicis deferebant amicitiam, ut odia in illius amicos impunè exercerent, & hæc quidem tot cruentata cædibus, tot Christianorum excidio ac captivitate funestata. Ille Turcis Hungariam, hic Italiam, uterque Europam innumeris hæreticorum sectis dilacerandam prostituebat. Tantò difficilior invenire Regem est, qui propriis, ut par est, affectibus, improbè sapè suis dominis imperantibus, quam qui populosis nationibus rectè dominetur. Inter tales suæ Ecclesiæ filios protectoresque scilicet jaçtatur infelix Pontifex, Petrique navicula, duorum ambitione, ceu validissimis jaçtata ventis, cui favorem is dignè impenderet (cum odia utriusque profiteri res esset plena discriminis, neque Romanis Pontificibus suadenda) vix satis dispiciebat, præsertim cum Franciscus nuper sororis Navarrea lenocinio haud procul à præcipitio stetit, & Henrici Anglorum casu Romana indoluisset recenter Ecclesiæ. Gravissimum infligebat vulnus provocatus à Francisco Solimannus, nec levius neglecta à Carolo Hungaria, & hæresis per Germaniam tolerata, turbatumque pertinacibus utriusque bellis Tridentinum Concilium, quod vix indictum, & post semestrem Pontificis illic Legatis, velut per ludibrium neglectis, Turcarum erat metu discussum.

Au-

Auxit verò Pontificis offensionem Caroli in religionis negotio pertractando libertas. Ille enim neglecta Alexandri Farnesii à Pontifice, ad suadendam pacem submissi, cohortatione, toto impetu ferebatur in bellum, Paulo haud leviter indignatus, quod imploratus pro auxiliis, adversus Turcam Franciscumque confederatos, sibi nollet adhærescere. Cùm verò Pontifex turpe cum Anglo fedus, velut ex objecta nube fulmen, in Carolum regeret; hic, ex illo mutuatus suæ causæ lucem, respondit, quòd speraret Henricum hac se arte rursus ad sedis Apostolicæ obsequium, exemplo resipiscientis Henrici II Anglorum Regis sub Alexandro III Pont. reducturum. At Pontifex constanter negabat armorum se consilia, sed pacis admissurum: nec adhærere Anglo capitalissimo suæ potestatis adversario eâ spe posse, arma præsertim Catholicis Galliarum partibus illaturo, quique Scotiæ regno, nisi per Franciscum tardatus, totus immineret, religioni illud avitæ pariter, atque Ecclesiæ Rom. erepturus. Mariam enim heredem ex Jacobo Rege unicam, quam Henricus pro Eduardo filio prænsabat, Franciscus Delphino suo, matre Lotharinga stimulante, desponderat. Unde offensus Henricus Rex à Franciscò, ad Caroli partes, ceu reverberata fortunæ pila, transiit. Quo Imperator, licet inimico sibi suisque homine, tanquam veneno ad hostem opprimendum usus est, non amore mediorum, sed finis.

Ita aliud, longè etiam exitiosius imperio religionique, medium amplexus, Protestantium in Germania libertati frena laxavit, ut suis eosdem consiliis opibusque contra Franciscum duceret, cujus cum Solimanno fedus aversari non ignorabat. Nec Legati Gallorum ad Principes in Germaniam, excusandi federis Turcici gratiâ destinati, extra periculum steterunt; cùm præmissus ab his fecialis, & à Caroli ministris exceptus, vix incolumis evaserit; quòd negarent hostibus jure gentium aditum deberi. Hi tamen, cùm ad Comitata Spiræ, magnâ Germanorû Principum frequentiâ anni MDXLIV exordio cœpta, penetrare non potuissent, orationem belli federumque cum Turca defentoriam typo vulgarunt, quâ frivole Turcam adversus Sabaudum adhibitum ferebant, quòd Rex hereditatem maternam sibi debitam consequi non potuisset; in Casarem deinde conversa arma ob Legatos contra jus gentium trucidatos. Cum Turca se, publicæ quietis causâ, non minus, quàm Venetos Polonosque sociari potuisse. Abrahamum, Davidem, Salomonem, Machabeos, ac postremò etiam Christianos Principes Constantinum, Honorium, Theodosium, aliosque, diversa religionis Duces federibus sibi armorumque auxiliis habuisse sociatos, neque hoc à quoquam versum crimini. Fridericum II Saracenorum humeris, in Italiam contra Pontifices esse reportatum. Non tam abs Rege Gallorum invitatum Turcam, quam adversus Auriam ultrò processisse. Polinum adfuisse, cavisseque ne quid noxæ Christianis inferret. Nihil Regem hisce bellis, nisi iniquè adempta repetere, quibus si potiri queat, arma illum adversus Germania hostes, periculis sumptibusque spreto, ultro lubentemque sociaturum.

Verùm hæc jam sùrdis fabula. Cum Protestantibus Franciscus suum nullo argumento purgaret facinus, Lutherusque feralis libri nuper classico, adversus Turcam, suos animasset. Sed & Carolus omni sibi industriâ eosdem devinciebat, inclinatosque ad odia Francisci animos, in sui favorem, aliquo libertatis indultæ

Cur Henricus Augustus à Franciscò ad Carolum transiit.

XXX.

Schleid.

l. 15. c.

16. ad

An. 1544.

Belcar.

l. 23. Pa-

lavie. l.

5. c. 5.

Fivola

Galli de

Turcico

federe

subsidi-

que ex-

cusatio à

Germanis

reje-

cta.

XXXI.

1544

Danus &
Saxo &
hic qui
dem spe
heredita-
tis Cli-
venfis;
Cæsari
concilia-
tus, spem
etiam
conver-
sionis fa-
cit.
De retū
Spirensis
conven-
tus de li-
bertate
religio-
nis.

XXXII.
ACatho-
licis non
recep-
tum, sed
toleratū,

lenocinio traducebat. Causatus apud Catholicos, indulgere se cupientibus, quod jam occupatum nolentibus auferre non possit; ut prædonibus equum sibi ereptum viator permittit, ne vitam cum equo extorqueant. Ergo Danum hæcenus, à fide orthodoxa & Cæsare ad Galli partes transgressum, sibi autoratum recepit: dotalem pactioem Saxonis cum Clivenfi Principe, ob ductam hujus sororem Sibyllam ratam habuit; uti si illi proles mascula deesset, ex hac talis in hereditatem succederet. Eleonoram præterea Ferdinandi fratris filiam, ipso consentiente, primo Saxonis filio despondit; sed arcana ignorataque in vulgo lege, si priusquam maturescat viro, de religione domus utraque consentiat. Quam cum Austriaci de Saxone, Saxo de Austriacis spem, vel alerent, vel fingerent, de umbra conjugii pacti sunt. Saxo tamen, hac benevolentia inclinatus Ferdinandum Rom. Regem salutavit; ut regiâ filius sponsâ ornaretur. Porro conciliandis reliquis Protestantium X Junii decretum est: ut *Augustani edicti leges usque ad Oecumenici vel nationalis concilij, aut certè, his deficientibus, usque ad autumnalem, brumalemve Principum conventum, suspensæ habeant, ubi doctorum virorum judicio de pace religionis consultetur, quæ suo interim pede, citralitem ob bona Ecclesiasticorum occupata, & imperialis judicij interminationem subsistat: ac promiscuè ad hujus judicij subsellia utriusque religionis viri idonei Spira recipiantur. Ludimagistri quoque & Ecclesiastæ Protestantium admittantur, proventibusque, tam hi, quàm Ecclesiæ, olim attributis non fraudentur. Goslariensis quoque & Mindensis proscripção, ad futuri conventus transactionem suspendatur.*

Repugnabant huic decreto magnopere Catholicis, sed cum Archiepiscopus Coloniensis, & Monasteriensis Antistes inhærendum censerent, Clivenfis quoque ac Badensis Cæsaris arbitrio rem deferrent, professi denique sunt, non assentiri se quidem posse, nolle tamen Cæsari ita statuenti resistere. Cum verò Protestantes causam Henrici Ducis Brunsvicensis, recens suis possessionibus, ob causam religionis potissimum, dejecti, hoc eodem decreto includi postularent, Carolus obniscus est, ac principatum, velut sequester, ad futuræ decisionis tempus occupavit. Quem absente Cæsare recuperare Henricus armis conatus, per Landgravium Hassiæ dejectus amisit, ipse cum filio Carolo in captivitatem abstractus. Tam prompta erant Protestantium ad Catholicos Principes opprimendos obsequia; ut ipsa etiam prævenirent Cæsaris imperia, clausis aliis auribus excipientia. His constitutis imperii ordines subsidium Cæsari tam adversus Turcam, quàm Franciscum addixere; & contra hunc quidem equitum IV, peditum verò millia XXIV, ære præsentis obtulere. Ex quo tamen Ferdinando, ad firmendam contra Solimannum Hungariam, pars Cæsaris voluntate cessit: ne fratris necessitatibus defuisse parum laudabiliter videretur. Displicuit verò insolens adeò decretum Catholicis, quo non solum impunitatem exortis recens Protestantibus; sed æqualitatem in bonorum Ecclesiæ, velut aditâ per rapinam, hereditate, fruentique jure indulgeri videbant; qui Echinum in fabulâ imitaturi, admissi in nidi societatem, tandem explicatis aculeis totum essent invasuri. At Carolus inter suos responsabat: *Patienter ferendum, quod emendari non possit; nunc laxari Saxonicofrenum equo, cui deinde capistrum queat reperiri.* Pontifex tamen dissimulandum, in violatâ

violatâ Romanorum jurisdictione, minimè ratur, præsertim cum ferendis Caroli minis reprehensionibusq; quàm Franciscum patientiorem fore sentiret, severâ eundem Epistola castigavit, ac minaci Pontificiâ indignationis fulmine, ni abisteret, conterruit, nihil veritus tam excellentis in Italia potentia Imperatorem fortunamque gentis suæ Farnesiana, illius potissimum affinitate & gratia subnixâ. Diploma igitur XXIV mensis Augusti exaravit calamo, melle juxta ac felle illito, & ceu vulnera curaturus acetum oleumque diluendis, senatu Purpuratorum approbante, infudit, non sine Caroli, omniumque etiam A catholicorum sensu; eo tamen discrimine, quòd illum ad mansuetam pietatem, hos ad effertam rabiem concitârit. Ex longiori oratione aliqua nos recitasse, cetera, brevitatatis studio, paucis iuverit pertrinxisse. *Charissime, inquit, fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex Edicto Majestatis Tue acta conventus tu' Spirensis cognovimus, de quibus cum nostram sententiam dissimulare paternus noster amor erga te non patitur, tum verò officij & muneris à Deo nobis per Christum commendati ratio in cura universalis Ecclesie, ut apertis verbis te admoneam compellit. Nec verò parùm nos ad hoc movet grave severitatis divina in Heli sacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentius tractantem, & ad eorum errata conniventem extat severa illa Dei in hac verba sententia: Quia indigna noverat agere filios suos, nec corripuit eos, iccirco non expietur domus ejus victimis, & muneribus, usque in æternum. Hac quidem Dei sententia fuit, quam statim liberorum primùm, deinde ipsius Heli repentina & violenta mors consecuta, hincque posteritatis à Sacerdotio repulsa verbum Domini verum & ratum fecerunt.*

Nos verò, fili, cum à Te indigna quadam decreta in Conventu Spirensi ex ipsis actis animadvertimus, indigniora verò designata esse, & talia, quod si propositum exitum, quod Deus avertat, consequantur, non solum Te in certissimum anima salutis periculum adducturâ; sed Ecclesie paci atque unitati, cui super omnia studere debemus majorem, quàm quâ hactenus laboravit, perturbationem sint allatura; nolumus sanè prætermittere, quin Te, à Deo nobis honore & amore Primogeniti commendatum, his nostris literis de tanto tuo & Ecclesie periculo admoneremus. Quamquam quidem Te, non ut Heli filios admonendum duximus, quos depravata voluntas & consuetudo peccandi indociles propè ad rectam disciplinâ reddiderant; sed ut eum potiùs, qui multorum annorum cursu non abiit in consilium impiorum, quo majorem in spem venimus non frustra nos admonitione paterna apud Te usuros. Omnia verò, fili, in eo sunt, si ab unitate Ecclesie Te abduci non sinas, à consuetudine Majorum tuorum religiosissimarum Principum non recedas; sed eundem ut debes morem in omnibus, quæ ad Ecclesie disciplinam, ordinem, & instituta pertinent, observes, quem multos annos summa cum pietatis animi tui significatione edidisti. Is verò est ejusmodi, ut quoties de his, quæ ad religionem pertinent, disceptatur, ad sedem Apostolicam judicium referatur, nihil illa inconsultâ statuatur. Tu verò nunc, fili, cum vel de Concilio generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictiis Ecclesie rebus, & ipsius imprimis Germaniæ mentionem facis, vel de Nationali, cujus etiam meministi, vel de futuro ad proximum aut autumnum Imperiali conventu, in quo de Religione, ceterisque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis; ita agis, ita statuis, ut supprimas ejus ubique nomen, cui divina & humana jura, approbante tot seculorum consensu, supremam eum cogendi Concilia, tum statuendi

XXXIII.
Pontifex
vulgato
diplo-
mate cõ-
tradicit,
& Carolo
severa
minatur.

Ostendit
salutis
discrimi-
nen.

Neque
fas esse
cuiquam
præter-
quam A-
postoli-
cæ Sedi
de

1544. de rebus Ecclesia sticis statuere, aut ferre iudicium.

de his & ordinandi quæ ad Ecclesie unitatem utilitatemque spectant, auctoritatem dederunt.

At verò, neque hæc sola sunt, in quibus conquerimur, Ecclesia & Majorum ab te morem atque institutiones divinas minime servatas fuisse; sed alia præterea, & ea quidem non pauca peracti jam conventus decreta leguntur, quæ maximè, & pietatem ledunt, & omnem legum ordinem confundunt. Nam quod Laicos de rebus spiritualibus iudicare vis posse, neque Laicos modo, sed nullo discrimine Laicos, & damnatarum hæresum assertores; quod de bonis Ecclesiasticis, eorum futuris controversiis statuis, quod eos, qui extra Ecclesiam sunt, & per Edictum tuum pridem damnati, honoribus pristinis in iudiciis ac tribunalibus restituas, atque hoc pro tua, & imperatoria potestate facis, minime approbantibus ceteris, qui in antiqua & sancta obedientia perseverant. Quid tandem horum, cum divinis institutionibus ac legibus, quibus perpetuò Ecclesia est gubernata, convenit; quæ omnem potius disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum cætus regi potest, ab Ecclesia prorsus tollunt? Hæc verò, quod magis ab omni recta disciplina & consuetudine Majorum sunt aliena, eò minus nobis persuadere possumus è tuo ipsius sensu illa unquam emanare potuisse; sed eandem pietatem animo tuo suppressam quidem ad tempus malorum consiliis, qui huic sanctæ sedi rebelles sunt, putamus. Id verò eos impetrasse tantò magis dolemus, quantò id Tibi & Ecclesia, nisi citò ad te ipsum redeas, majori damno, & detrimento fore, nobis maximè est persuasum.

XXXIV.

Hæc ergò cum disseruisset Pontifex, argumenta deinde profert, quibus facti indignitatem demonstrat, ut quod periculosa illorum amicitia consiliumque sit, qui fide ac moribus corrupti, ab orthodoxa Patrum semitâ & Ecclesia divulsi sunt. Quamvis enim specioso titulo Sacerdotum Catholicorum labem obtendant; ut viros Principes in munus officiumque illorum, ac causas religionis dijudicandas pertrahant; id tamen non magis Deo placere posse, quam cum Oza, absentibus Levitis, labanti in curru arca Domini profanas manus; aut Dathan, Core & Abiron Moyfis & Aaronis officio sese admoverunt, quos omnes repentinâ morte, & hos etiam dehiscente terrâ, haustos accepimus. Laudabile esse incensum adolere Deo, sed hoc Oziæ Regi, quantumvis pio, sibi tamen præter usum arroganti, quod Sacerdotis erat, impunè non fuisse. Et Leges Religionis sancire probas, minime improbum esse; sed non esse nisi illorum, quibus Deus commisit regendam Ecclesiam, quique ligandi solvendique potestate donati sunt. Si quid minus rectè à Sacerdotibus actum, habere illos iudicem illum, qui dixit: *Ego ipse super Pastores, requiram gregem meum de manu illorum.* Imperatoribus Regibusque hoc minime iudicium competere, sed patrocinium impensum Sacerdotibus, & Ecclesie favorem, quem in Constantino & Carolo Magno, Theodosiisque Deus illustribus victoriis ornarit, secus quam in Mauritio, Constante II, Philippo, ac Leone, aliisque orientis Imp. ignominiosè vitam claudentibus; tum etiam in Henrico IV & Friderico II occidentis Imperatore factum, quorum ille à filio proprio captus; hic etiam interemptus. Et si quidem impunè aliqui hanc sacrarum rerum violationem hac in vita ferant, hos graviori Dei indignatione cumulatis noxis pœnisque ad futurum severiusque illius tribunal reservari. Infelicem esse Judæorum nationem in spreto Christo; & Græcorum in ejus Vicarii potestate

Exemplis male pereun-
tium ter-
ret. pro-
fanosque
à reum
sacrarum
admini-
stratione
revocat.

Prote-
tores
Ecclesie
Cæsares
ostendit
fuisse fe-
lices &
secus in-
felices
detracta-
tes oble-
quium.

re

te contempta. Cujus tamen autoritas illis, vel contemptis, vel oppressis, & sua etiamnum cæcitate plexis, hodieque perpetuâ successione floreat ac conserve-
tur. Quocirca orat Carolum, monetque, tanquam filium, præ omnibus dilectum,
amantissimum Patrem; ut exemplo Constantini, imperio non minus, quam virtute
Magni, iudicium omne de Sacerdotibus Deo, de rebus sacris, Ecclesiæque bonis,
sacerdotibus relinquat, aut ad generale Concilium remittat, neque tot novis E-
dictis sacros canones lædat, & priora edicta identidem destruat, ac plura indies
Germanicæ nationi indulgendo, illius aviditatem non tam expleat, quam ex-
cuet; ut hæc petendi aliena finem nullum, ipse largiendi nunquam reperiat. Ab-
rumpendam hanc denique temeritatem, & negandum, quod concedi nequit; ne
in has Pontificem compellat angustias, ut ex autoritate sibi cœlitus tradita seve-
rius cogatur agere, quam vel consuetudo, vel natura aut voluntas ferat. Statuen-
dum proinde, sibi ne ut capiti in rebus ad Ecclesiæ unitatem spectantibus præbere
brachium, an potius favere illis velit, qui hanc miserabili schismate dilacerant.

Hæc literarum summa, in quas inhumana prorsus rabie Lutherus Schleidano
teste grassatus est vulgato ejus tituli libro: *Adversus Papatum Rom. à Satana consti-
tutum*: cui novus ille Saxonum Apostolus, pro solitâ modestiâ, non minus in Cæ-
saris Principumque Catholicorum, quam Pontificis contemptum, suæque gentis
& religionis talia probantis opprobrium perpetuum, figuram præfixit, Papam in
sede decumanis a lini auribus præditum, quem diversa dæmonum obvallarent
monstra, aliiq; ex his cor vorarent, alii implexum funibus ad hiantis fumantisq;
infernæ barathrum abstraherent. Alibi eundem porcæ mammosæ impositum, li-
nistrâque oletum præferentem, dexterâ populum benedicientem exhibuit, ut ni-
hil ab infimo scurrarum propudiosius fingi procudique potuisset. Cum nihil omi-
nis tale Germanicæ nationis abortivum, gens cæca, & prisca moderationis ac
constantia oblita, futili exorbitantis ordinis sacerdotalis prætextu, Evangelicæ
doctrinæ Apostolum habuerit, ut qui ab hac schola discipuli expectandi sint,
doceat tam scurrilis & arrogans, summisque orbis capitibus illudens Magister:
longè illi dissimilis, cujus solennis vox ac doctrina est: *Discite à me, quia mitis sum,
& humilis corde.*

Longè aliâ à summo Imperatore Carolo mente hæc excepta oratio est. *Neces-
sitae ille se magis, quam voluntate ad eiusmodi abstractum Edicta ferebat, quibus nihil lar-
gitus sit, quod non obtinissent, nihil, nisi ad proximos fruendum convectus, indulgisset, dilata
non dat possessione; ut armis sibi contra Turcam hostesque alios jungeret, quos religione
non posset. Non se incommodorum in remp. Christianam in vectorem, sed pro viribus propul-
satorem fuisse. Excusationem daturum loco ac tempore, quâ intelligatur se Catholici Prin-
cipis functum munere, ac debitâ in sanctam sedem reverentiâ; quod si quisque suo præstitisset
in gradu, haud obventura fuisse, quæ Christiana pertulerat res incommoda, idque à se aded
probatum iri, ut culpa in promeritos recidat.* Ita Oedatium Pontificis Legatum hoc
diploma offerentem, ad Paulum remisit, sine ulla exulcerati animi significa-
tione.

Interea Carolus Solimannum inter Franciscumque potentissimos duos hostes

XXXV.
Lutheri
probrosa
scurrili-
tas ob
decretum
à Ponti-
fice dam-
natum.

Cæsaris
mansue-
tudo &
decreti
excusa-
tio.

1544.
XXXVI
Cæsar, s
cum Tur-
ca indu-
cia bel-
lumque
in Fran-
ciscum
Gall. Re-
gem, cū
Anglo &
Protestā-
tibus,
Iov. l. 45.
ubi finit.
Schleid. l.
15. in fine.
Belcar, l.
23. H4
v. 4. an.
1544.

Lutzen-
burgo
occupa-
to in Cā-
paniam
transfert
exercitū,
variasq;
urbes
expug-
nat.

Sendesir-
rium,
Landa
propug-
natio
sublato,
præter
spem de-
ditur.

medius, cū utriusque simul experiri vires rem esse didicisset periculi damni-
que plenam, licet in Turcas militem destinasset, maluit cum his tamen per indu-
cias pacisci, quàm tam præsentī sese discrimini objicere. Rebus itaque Spiræ, cum
Principibus electoribus, utcunq; compositis, postquam illos, Anglum, Danum-
que suas in partes, à Gallo abstraxisset, cautumque deinde lege esset, (licet &
datâ & irritâ sæpius) ne qui Germani Gallorum mererent stipendia; ingentem
Cæsar in Galliam transportavit exercitum, in quo præter Rossemium, Guiliel-
mus Furstenbergus Gallicæ dudum militiæ assuetus, à qua (dubium, siusne in Gal-
los, an Gallorum in se rejectus odiis) Cæsari se adjunxerat, Mauritius etiam Sa-
xonum, & Albertus Brandeburgi Princeps, præter Belgas, Italos, Hispanosque
Duces, accesserant, lectissimis verò copiis tormentorum apparatus addidit usi-
tato majorem.

His, quæ sui olim juris fuissent, oppida primùm aggressus, Lutzenburgum, Cli-
vii Ducis armis non ita pridem occupatum, ac nuper Gallicis per Aurelianum
viribus, recuperatum, egregioque munitum labore, obsidet. Septuaginta faciliè
æneis tormentis instructum Galli reliquerant oppidum, sed militum annonæque
præsidium diurnæ oppugnationi par, nondum acceperat. Hanc tarditatem in
suum vertit commodum Imperator; siquidem omnem Francisci expectationem
celeritate ac diligentia in comitiis Spirensibus per Furstenbergum præoccupavit,
oppidumque Maio mense XV obsidionis die nonvi, sed inopiâ suâ potesta-
tis fecit. Superato exinde Mosâ flumine, Comersium solo apparatu tormento-
rum & milite, oppugnantium specie, circum explicato, ita exanimavit, ut qua-
tridui terrorem vix tulerit. Ea res valuit ad Galliæ totius trepidationem, non-
dum enim maturâ segete ad militarem annonam hostili in terra opportunam,
futurum vix putabant; ut Cæsar tentaret aditum Galliæ. Sed is præteriti anni
frumentis copiosè exercitum instruxerat, Francisco tum propter annonæ, tum
Helvetiorum absentium defectum adhucdum imparato. Ligninio deinde sine
offensione castra admoventur, hoc quamvis instructo milite, tum arce impositâ
egregiè confirmatum esset; tamen ex adversis duobus collibus muro incumben-
tibus magnum accipere detrimentum poterat. Hi colles à Ferdinando Gonzaga
tormentis occupati sunt, ac præterea ex duobus in planitie excitatis suggestis, ita
urbs quassari cœpta est, ut ingentibus undique ruinis succumbens murus, non pe-
diti modò, sed & equiti ingressum sterneret. Tanta mœnium clade conterriti
Gallorum antesignani, Hispanorum, jam ad irruptionem dispositorum, vim ex-
pectandam non censébant; sed arbitrio victoris sese tradidère.

Hinc castra ad Sendisirium producta, oppidum & viris fortissimis, & operibus
ante cetera munitum. Landa enim nuper Landresii propugnatione contra Cæsa-
rem nobilitatus istic præsidebat, urbisque mœnia in planitie ad Matronam am-
nem collocatæ novis propugnaculis firmaverat, quæ flumine ad septentrionem
appositè erant defensa. Cæsariani, tantâ vi oppugnationem aggressi sunt, ut non
multis horis quassata tormentis mœnia, ac bina sub turribus propugnacula, tre-
centorum passuum strage corruerent. Sic ut Hispani milites invadendi oppidi
pote-

potestatem sibi fieri à Gonzaga cuperent. Sed ipse, laudatâ suorum voluntate, temerè nihil audendum monebat, quòd difficilis etiamnum ingressus antè paucis explorandus, quàm pleno agmine tentandus esset. Sed qui exploratum missus cum paucis erat, sublato vexillo ad murum contendit, quem reliqui Signiferi postquàm pari audaciâ ac gloriâ provocati, per fossas eniterentur, ipsi denique Duces, ne in periculo suis deessent, sunt consecuti. Sed temeritas hæc impunis non fuit, nam libratis ex occulto tormentis, sclopetariisque in eandem turmam effusis, tanta subito cadentium strages edita, ut fossam omnem latè compleverint nec infra quingentorum capitum numerum clades steterit. Hac tamen Germani nequicquam consternati, post receptas aliorum reliquias & ipsi foveas injussu fubeunt, quorum ut par propè fortuna, sic recursus aliquantò fuit celerior. Chiròsa, qui inauspicatâ expugnationis autor fuerat, cum omnium vocibus peteretur, Cæsari vitam suam fidere non ausus, ad Gallos fugâ transit. Res igitur, ubi infeliciter cecidisset, aliâ obsessos viâ Cæsar aggressurus cuniculis fodiendis operam dedit, sed his dum hostes occurrerent, irritò rursus conatu laboratum est, donec, Landâ jam tormenti ictu sublato, urbs ad magnam tormentarii pulveris redacta inopiam, post duodecim dierum inducias, quibus Regem frustra expectabat, à Cæsarianis deditione occupata est.

Sub hanc victoriam, post ancipitem deliberationem, proximisne Gallia oppidis, an ad ipsâ regni viscera Lutetiam transferendus exercitus esset? hæc posterior sententia valuit. Aspernatum itaque impositum destinato itineri oppidum, progressus, simul illud oppugnavit: magnâ ad annonam militarem, quâ refertus hic locus erat, accessione. Quo eventu, ubi Regis opinionem prævertisset, is promotis castris, sese objecit ex altera Matronæ ripa Cæsari; ut illum, vel transitu excluderet, vel iusto exercitu transportatum refelleret. Magnis verò, uterque exercitus per Galliam effusus, cladibus ac incendijs grassabatur. Regius, ne quid hosti ad usum superesset, Cæsarianus, ne quid inimicis reliqui faceret. Interea Parisios delatus rumor, Cæsarem properato victoriæ cursu, post expugnata passim oppida, imminere Lutetiæ, tantâ amplissimæ urbis trepidatione, ut neque consilio virorum Principum, neque pudore ab effusa per Sequanam fuga contineri incolæ possent, plus denique in studiosâ juventute ad arma concurrente, quàm civibus animi repertum est. His enim per Caracciolum, juvenem impigrum, quamvis religiosum, in ordines ac signa digestis, subito populus, armatorum recreatus subsidio, respirare à terrore cœpit, quem deinde magis extinxit Regis propinqui exercitus. Erant res animique Gallorum non mediocriter attriti, cum & Henricus Anglica, semper Gallis formidandâ, gentis Rex traducto impune exercitu acri Boloniam expugnatione premeret, & ab una Cæsaris victoriâ Gallia totius fortuna pendere videretur. Refrigit tamen in Carolo pugna ardor, ubi Furstenbergum militarem virum, & Gallicarum rerum peritissimum, explorandi vadi gratiâ, ad Matronam egressum, captivitate amississet.

XXXVII
Ad Lute-
tiam Pa-
risiorum
occursu-
dâ pro-
gressus,
ipso la-
tè terro-
re, ab ob-
jecto
Gallo-
rum
exercitu
tenetur.

XXXVIII.
Cæsar
honestæ
cum

Subière illa etiam rursus animum pacis consilia, quæ modò honestissima, ac

1544.
pacis cō
filiis, cū
Franci-
sco eodē
inclinato
admissis,
Crespia
ci cum
eodem
priscis
novisque
le gibus,
sed non
diu vali
turis, cō
ciliatur.

cum ipsius dignitate conjuncta, non extorta: sed ultronea, qualem semper optaverat, sese offerebat, cum Reginā Galliarum Caroli sorore, tum Pontifice eandem urgente. Et quanquam unus omnium pacem impatientissimè tulisse Henricus Delphinus tradatur, quod is pugnae bellicique ardoris plenissimus, Caesaris militem stipendijs dilatis exasperatum, annonaeque ac caeteris belli incommodis afflictum, nec suis parem, ferro victoriaeque Gallorum subduci quereretur, ac turpem, ceu victis consternatisque ad praesentiam hostis, pacem imperari. Quae licet à vero haud abessent longius, non tamen Carolum, aut Franciscum haec usque aded moverunt, ut vel ille pugnam subterfugere, vel hic quarere videretur. At hunc felix Caroli genius, & regni alea ex uno suspensa praelio; illum progrediendi, Lutetiasque tam propinquo Regis exercitu occupandi, difficultas penè insuperabilis, pacis inter bellicae arbitria suspensum tenuit. Sed & Ducissa Stampensis, formae gratia, Regis Francisci potens, & Dianae Pictaviensis, quae Henricum Delphinum possidebat, & mulla, cum Caesare, ad Belgium impetrandum alteri filiorum Carolo (cui impensè Ducissa contra Henricum favebat) communicabat consilia, Franciscumque spe tali ad pacem impellebat, ut Carolum, alterum domus, suaeque potentiae, adversus Dianam, fulcrum extolleret: obtinuitque ut hinc spe, metuque indè concitato, Regi persuaderet. Et quid, praeter hos affectus, instructa blanditijs, & amore jam Regis freta, non possit femina? Quocirca de pace per utriusque partis viros Principes Crespiaci, quod Sueffionum Castellum est, tractari coeptum. Aderant hinc Nicolaus Perenottus Granvellanus à secretis Caesari, & Ferdinandus Gonzaga, alter à Caesare exercitus Imperator. Hinc regii accesserant Hanebaldus classi, & Nulleius supplicibus à Rege libellis praefectus. Henricus verò Anglorum Rex gerendae rei per Antonium Granvellani filium commonitus, nihil se repugnaturum professus est, modò federis cum Caesare suscepti ratio inviolata persisteret. Peractum itaque pacis negotium iis denique legibus est, quibus diu subsistere vix integrum posse acutioribus videbatur. Nimirum ea erat capitum summa, quibus concordiae mutuae rationes tenebantur. *Pax Madritana consecutaque federa, iis partibus vim suam obtinerent, quibus omni in regnum Neapolitanum, Siciliam, Ducatum Mediolanensem, comitatum Astensem, Flandriam, Artesiam, locaque vicina juri cedere Rex jussus esset, suis inde stipendijs Caesari adversus Solimannum equites sexcentos, ac dena peditam millia jungeret. Caesar ad majorem in pace stabilitatem Carolo Aureliano Duci, aut filiam suam, cum Dotali Belgij totius hereditate, aut certò Ferdinandi Fratris natam, Mediolanensis Principatus dote locupletatam nuptui se traditurum promisit. Cujus rei deliberationem octo mensium spatio, consultis utrarumque partium voluntatibus, absoluturum se addidit. Limitata tamen erat Mediolanensis imperij plena traditio ad masculam Aureliani prolem, quae dum nasceretur succresceretque, Mediolani & Cremona arces in Cisalpina Gallia suo Caesare praesidio obtenturus erat, uti vicissim aliquot in Allobrogum, & Subalpinam ditione arces ad id tempus Gallo concedebantur; cetera reliqua omnia jam tum ad Sabaudum reditura essent. Cetera pacis decreta ad quaedam Belgii oppida tradenda accipiendaque vicissim, tum utriusque partis Reges Principesque, ad idem*

Pacis cō
ditiones
que par
tium du
ca.

fe-

federis beneficium. admittendos, spectabant. Cui etiam post tempus aliquod Henricus Angliæ Rex, Boloniâ, quam occupaverat, pecuniis redemptâ, accessit. Additum quoque voluntate Caroli, ut pro virili uterque Catholicam religionem propugnaret, Rex verò, & Pontificem pro instaurando Tridentino concilio, & in Germania protestantes, ad eîdem obsequendum, legatione impelleret.

Tam insperata pacis tranquillitas totam Europam singulari implevit gaudio quamquam collapsuram brevi nimio obligatæ fidei pondere, quo se Carolus alterutrâ nuptiarum promissa dote onerasset, nonnulli augurarentur. Sed ita fors Cæsaris tulit, ut citra ignominiam notam discedere illi passionibus liceret, cum annuo deinde vitæ cursu florentissimus juvenis Carolus, tanquam dexter Galliarum oculus, apud Firmum Monasterium ereptus sit, tantò Patris populique luctu, ut dubium esset, majore ex pace obtenta lætitia, an ex amisso Carolo dolor ad omnes pervenerit? Mors ejus [ut habent improvisa magnorum fata] veneni suspitione à proximâ manu ex æmulatione præparati, non caruit.

Ceterum Pontifex atque Imperator datis ad omnes Europæ Proceres mandatis Tridentino Concilio Episcopos adesse voluerunt ad idus Martias anni 1545 Lovaniensis etiam scholæ in Belgio, in Gallia Parisiensis Theologi, proponenda in Concilio dogmata, scripto concipere jubentur: quæ illi ad capita duo & triginta, hi ad viginti & quinque revocarunt. Pontifex totidem, quot nuper Concilio præfecerat Cardinales Legatos, Joannem Mariam Montanum, Marcellum Cervinum, & Reginaldum Polum, cum doctissimis aliquot Theologis, eodem remittit. Farnesio Cardinali aliisque etiam Wormatiam, ad ordinum istic indicta Comiticia, legato; ne quid, aut Cæsar, aut Rex Ferdinandus, conciliandis sibi adversus Turcam, & ad synodum universalem traducendis Protestantibus intenti, his indulgerent, religioni orthodoxæ adversarium. Sed quamvis in comitiis, neque Rex, neque Cæsar deessent; tamen Principes per Legatos tantum comparuere, obfirmato animi proposito nec quicquam Cæsaris postulatis concedendi. Unde & Tridentinum Concilium averfabantur, & rogata contra Turcam auxilia negabant, nisi ante promissa Spiræ emendatæ religionis formulâ à Cæsare traderetur, quâ susceptæ de fide controversiæ absolverentur. Hos illis animos confirmaverant, præter Franciscum Waldærum Monasterii Episcopum, Fridericus Palatinus, & Hermannus Archiepiscopus Colonienfis Electores, hæreticorum partibus recens additi. Nam primus Anabaptistarum non ita pridem debellatorum victoriâ gloriosus nuperoque decoratus sacerdotio, repente Halls adversus Brunsvicensem sibi invisum armis junctus, & velut cæstro hæresis percitus, post Olinabrugensem, & Mindensem diocesium (quibus etiam præerat) A catholicis permissam, Monasteriensibus, repugnante Capitulo, ne quicquam Præcones Lutheranos obrudere conatus est. Alter Palatinus Ludovicus fratris, nuper defuncti, successor, nihil antiquius habuit, quam Melanchthonis consilio de fide Ecclesiæ; constituere; Ubius Coloniam Bucero ad noandam religionem accersito, omni diligentia populum à Majorum institutis avocabat. Sed obstantibus summæ ædis Canonis, Pontificiæque & Imperatoriæ autoritate implo-

1545.

XXXIX.
Caroli
Aurelianensis
obitus
pacem
haud
multo
post la-
bescit.

An. 1545.

XL

Triden-

tinum

Concilium

omnibus

Europæ

Proceribus

indictum.

Schleid.

l. 16. Rov

Pontan. 16

l. 4. Co-

lani in

Luth. Su-

rius.

Bzovius.

Protestan-

tium Prin-

cipes

Worma-

tiam e-

vocati

Concilium

Trid. de-

trecent.

& auxilia

contra

Turcam

negant.

Iam Pa-

latini &

Colonien-

sis dese-

ntione

audi.

1545.
Herman-
nus Co-
lon. Ar-
chiepisc.
propter
hæresim
dignita-
te exci-
dit.

ploratâ, atque interpositâ, peruersis consiliis eventus defuit. Eam tamen Her-
mannus ad errorem pertinaciam adjunxerat, quâ nec consiliis nec minis ab in-
stituto deflecti posset; ut proinde Cæsar ac Pontifex, desperatis remediis altero
post anno ei in sede Archiepiscopali successerint, ex illustribus Schawenbergicæ
familix comitibus Adolphum, Adjutoris munere antea adjunctum, qui inuale-
scens passim in Diœcesi hæresim suis ita viribus sensim accidit, ut respirare
orthodoxa fides, multis jam locis oppressa, cœperit. Ceterum Wormatiensis con-
gressus, ab anni exordio ad Augustum mensē productus, postquam irritō cona-
tu susceptus esset, Galliæ etiam Regis Legatus, Æmarius Griniani Comes, ne-
quicquam Concilii Tridentini communionem federatis Germaniæ Principibus
suaderet, Ratisbonæ alio colloquio Germanorum Principum de fidei concordia
spem alendam esse Cæsar statuit, ne ex illius desperatione maturis nondum bel-
lo, quod meditabatur, rebus, Turcaque inconciliato, propensos ad repugnandum
animos in arma concitaret.

XLI.

Quare & dissimulanter hanc Cæsar in religionis negotio libertatem ferebat
Pontifex, & Tridentini Concilii tractationem solenni ritu inchoari voluit, ut
colloqui cum hæreticis de religione instituendi ad hujus denique arbitrium re-
vocaret. Eodem verò tempore (quod XIII hujus anni 1545 Decembris erat)
Jubilæo indulgentiarum Romæ divulgato omnes toto orbe Christianos ad sce-
lerum pœnitudinem invitabat, ut placatâ Superûm irâ, felicioribus auspiciis
Patres Concilium ordirentur. Ratio illius auspiciandi Tridenti hæc fuit. Cardina-
les Legati, Episcopis Pontificio in habitu, tum Theologis, clero, populoque
frequenti stipante, ab Ecclesia SS. Trinitatis ad Principem urbis Basilicam sup-
plicantium ritu processere, ubi ab uno Cardinalium Montano ad aram Spiritus
divini gratia solennij implorata sacrificio est, à Musso verò Episcopo Bitontino
eleganti ad affectationem usque oratione in rem præsentem peroratum. Deni-
que admonitio ad Patres ex scripto in hanc sententiam prælecta.*

Conciliū
Tri-
dentini
Pontifici-
ce solen-
niter in-
choatur.

Oratio
ad præ-
sentes
habita ab
Episco-
po Bi-
tontino.

*Tribus potissi-
mum de causis hoc à summis Europa capitibus urgeri concilium, ut hæresis magnis incre-
mentis succrescens opprimatur, Ecclesiæ disciplina multorum, aut negligentia, aut scelere
corrupta emendetur, ultimoque pax inter Christiani orbis Principes stabili concordia fir-
metur. Eorum verò felicem eventum frustra requiri, nisi Ecclesiasticus ordo antè intellexe-
rit, gravissimorum, quibuscum Europa conflictetur, malorum originem à depravata eorum
vita, tanquam fonte, existere. Jam eam, vivendi licentiâ, humanis moribus perversitatem in-
se discessisse; ut à quibus recta sanctæque vitæ præcepta accipienda erant, non modò remedia mo-
rum non præstent, sed sceleribus etiam contra virtutem saveant, & pessimo vivendi exem-
plo vulgi malitiam corroborent. Hanc religionis ac disciplina neglecta culpam, gravissimis
domi foris que belli pœnis castigari, nec Turcica, nec Christiana per Europam arma nisi ad
nostram emendationem componi posse. Assurgere jam divini favoris lucem aliquam, cum
hanc cœlitus Christianis Principibus de cogendo universali Concilio mentem injectam con-
spicere liceat. Enimverò agendum id omnibus, ne tanta rei, ardua prorsus initia, difficiliorem
exitum, quam principum fortiantur. Non defuturos, qui præclaris conatibus officiant, his eâ
constantia fideque, quam religio orthodoxa postulet, occurrendum; & quandoquidem perso-
nam*

nam Iudicis in re difficillima, se quisque assumpsisse, intelligat, cavendum unicè, ne quid privati affectionibus contra veritatem indulgeat, hominumque favorem divini posthabeat. *
 Moniti subinde Regum Principumque Legati Episcopi sunt, ne quid diligentiam omitterent in officii sui, cuius gratia sint missi, partibus exequendis, primam divini, alteram regii honoris munerisque curam gererent; ita ad felicem Concilii aditum progressumque nihil defuturum. Sub hæc tria lecta diplomata sunt, quorum unum Concilii indictionem, alterum designationem Legatorum, tertium Concilii inchoationem exponerat. Cæsaris etiam scriptum a Mendoza Oratore prælectum. Ultimo in genua provoluti solennes ex rituum Romanorum libro preces concepere, divinique Spiritus ac Sanctorum per Litanias imploratione præmissâ, à Cardinali Montano rogati Patres sunt: Placeretne, ad Dei gloriam, ceterosque supra expositos fines Concilium auspiciari, ac propter occurrentia festa, primam ejus anni sessionem, in proximam ad Epiphaniam Jovis diem, quæ erat 7 Januarii 1546 prorogari? quæ ubi placere sibi respondissent omnes, Concilii inchoati solennitas terminata est.

Lutheranæ interea factionis Principes, Protestantes vulgò dicti, coacto Francofurti conciliabulo, de Brunsvicensis belli sumptibus, cuius Principatus Ducem Henricum possessionibus ejectum ob amulationem ex religione & bonis Ecclesiasticis natam, vincis cum filio attinebant, de auxiliis Coloniensi Archiepiscopo contra Cæsarem sufficiendis, de perorando federe Schmalcaldie inter Sacramentarios Lutheranosque inito, de repudiando denique Tridentini Concilii societate statuerunt. Cæsar hæc facile animadvertit ad seditionem spectare, licet Hassorum Princeps Spiræ Carolo obvius, & habitæ conventionis rationes, & Principis Coloniensis consilia factaque probare niteretur.

Quocirca, ultimo conatu ad concordiam incumbens, Ratisbonensi colloquio hæreticorum rursus animos tentandos statuit. Quamvis hoc suæ autoritati adversari existimantes Tridentinæ Synodi proceres consiliorum Pontificis Cæsarisque nondum satis gnari, non obscurè resisterent, serioque hoc repugnandi labore, simulatum utriusque conciliandi studium, quod desperatum erat, obtegerent. Aderant ex Catholicorum parte octo, totidemque ex adversariorum secta. Hi quidem tardi difficileque, quod incrementis quotidianis robustiores pervicaciam alerent; Galliamque jam etiam, ad sparsam istic libris Calvinii disciplinam prurientem concitatamque intelligerent. Melanchthone igitur frustra expectato, Bucerus Alsatia ex Monacho quondam Dominicano Apostata & maritus, ex Lutheranis deinde Zwinglianus in capite præsidebat. Hic ubi primo colloquutionis institutæ die, qui erat Februarii quintus, Maluenda Cæsarianarum partium Theologus protestatus esset, nihil præter colloquium à se privatum, quo definiri nil queat, agitari, ac rogasset; num in sententia Augustanæ confessionis, unà cum suis, Bucerus persisteret? diu cunctatus, denique adversarias illi sententias damnare se asseruit; cum tamen is, uti & Symmystæ alij, ab ea confessione deficere in non paucis convincerentur: quin ipse etiam Archiepiscopo Coloniensi, quem pio reformationis studio, homo ad fallendum varius ac vafer lactarat, lon-

An. 1546
 XLII.
 Comitium
 Francofurtense
 Protestantium.

XLIII.
 Comitium
 Ratisbonense
 omnibus
 pro concilianda
 religione
 institute à
 Cæsare
 indicta,
 ubi Bucerus
 cum Maluenda
 congressus,
 in fide
 variat.

1546.
Buceri
levitas
atque af-
ferendi
negandi
que, pro
hæretici-
cum
more,
incon-
stantia.

Abomi-
nanda de
fide sola
justificā-
te, sine op-
eribus
bonis
doctrina.
Protestā-
tū Prin-
cipes sibi
iudicium
fidei ar-
rogant.

XLIV.
Cæsar
accedens
ad u-
comitia
mandat
repeti.

gè diversis instructam sententiis confessionem obtulisset, licet haud multò post, & suis ipse hanc Bonnæ Concionibus, & alii cum Melanchthone adducti è Saxonia Collegæ destruxerint, ac denique, contra hos exorti, luculento Antididagmate, Ubiorum Doctores fraudium errorumque convicerint. Adeò nimirum non solum à Lutheranis aliis, sed à seipso etiam diversus, pro temporum hominumque ingenio semetipsum Bucerus fingebar. Quâ fictione, cum quantumcunque ad omnem humanitatem & persuadendi vim valeret, diu tamen constanterq; nulli placuit, totam pervagatus Germaniam, interq; Sacramentarios, Lutheranos, Catholicosque passim medius, conciliatorque, denique in Angliam delatus, post quinquennium Judaizans mortuus scribitur. Hic ergo ejus Colloquii, quod Melanchthon expertus subterfugiebat, princeps eò à Malvenda ex Protestantium de justificatione fidei principis disputando recidit: ut cum verè fideli nulla diceret peccata à Deo imputari, nullo hunc neque adulterii, neque latrocinii scelere, (nisi fortè his quoque fidem amitti voluerit) sed solo incredulitatis vitio Dei offensam incurere sentiret. Unde juxta hunc Doctorem, & Augustanæ Confessionis defensorem, adulteria Protestantium sanctiora erant elemosynis Romanorum; cum hæc, non illa, ad peccatum imputarentur. Penetrarant illa fortè ad Principum Catholicorum aures, qui cum suorum confusionem reformidarent, vellentque acta sibi communicari, ne quid se inconsultis utpote Ecclesiæ Germanæ Pontificibus statueretur; contraque vetuisset Imperator quicquam à conciliatoribus, ante exitum, vulgari, Lutherani Doctores inter saxum sacrumque constituti, indignatique à voto abludere cœpta, suorum Principum voluntate, turpi subterfugio dilapsi sunt.

Cæsar igitur ubi post admissos inauguratione solenni, Geldriæ Ducis, Zutphanæque, Arnhemii & Neomagenis Comitibus titulos, Ratisbonam Maio mense advenisset, dissipatumque cum profugis Adversariis colloquium indignissime ferret, missis pro imperio ad omnes literis, definito Principes tempore comparere jussit. Verùm jam plerisque cum Romana fide vilis erat Cæsaris autoritas, postquam magnarum accessione virium audaciam confirmassent. Adsuere tamen Mauritius Saxo, Ericus Brunsvicensis, Joannes & Albertus Brandenburgici, cum Episcopis aliquot Protestantium soli Oratores, aut verius exploratores, comparabant. Cæsar tamen, cum Ferdinando Rege ceterisque imperii ordinibus, ubi summa in æde solenni adstitisset sacrificio, post fufas ad Deum preces, curiam subiiit. Hic postquam adventus sui causam eam exposuisset, quæ publicam Imperii tranquillitatem spectaret, ejusque faciliùs procurandæ gratiâ præsentium rogasset sententiam: Orthodoxi omnes, institutâ deliberatione, nihil perinde, atque universale Concilium, Tridenti jam inchoatum probarunt, in hac orbis gentiumque Synodo peculiare illud Germanicæ nationis religionisque dissidium expendendum censebant. Egit verò inprimis Campegius, Pontificiæ sedis Legatus, apud Protestantes, ut propositi illius persuaderet aequitatem, sed actum egit sapientius jam irritum, quòd sciendū illa vivendique libertas, jam tempore, successibus, & tot populorum accessione roborata, contra omnem humanæ rationis sensum invaluisset.

Cæsar

Cæsar igitur, cum hoc ulcus, nisi ferro, sanari non posse, intelligeret, firmatis cum Turcarum Imperatore induciis, ad ea se denique armorum convertere remedia, quæ si tempestivo consilio maturiora fuissent, sanari Germanorum Respublicæ doloris sensu, nec tantâ membrorum omnium convulsione poterat. Scriptis iccirco militibus, cum ad vim spectare consilia viderentur; Heterodoxi missâ ad Cæsarem legatione sciscitantur. Quem iste belli apparatus hostem spectet? quibus Cæsar: *Nihil se moliri, respondit, nisi ad publicum Germaniæ bonum imperijque incolumitatem, leges se male violatas contra rebellium audaciam vindicaturum: huic qui socius opinioni ac voluntati accesserit, illum se humanitate ac benevolentia omni quam à Principe subditus expectare possit, complexurum; secus qui fecerit, in hunc tanquam rebellem, & læsæ Majestatis reum hæc arma expediri.* Nullus erat Legatorum qui hoc in Senatoriorum capita fulmen cogi non sentiret, nullus, qui, sentire propalam ostenderet; ne conscientiam violatæ obedientiæ metu, ac sensu aliquo vindictæ proderet.

Dum hæc bellorum fomenta, plurium seculorum incendio exarsura, primùm conciperet Germania: Lutherus, tantæ calamitatis autor, & fax prima, velut suo jam ad inflammandam Germaniâ officio defunctus, vivere desiit anno MDXLVI pridie Cal. Mart. cum à lauta menia benè cœnatus potusque ad lectum divertisset, neque gravius ægrotare à domesticis antè, quàm mori compertus esset. Subcujus fata major ceteris, atque ipsi etiam Melanchthoni, factionis Lutheranae antesignano, sentiendi libertas fuit. Ut vix quisquam in Europa Heterodoxorum sit, qui Luthero cœptæ perfidiæ originem non debeat; raris affeclarum, qui ita sui Principis insistant vestigiis, ut non alio S Scripturam ingenio, diversaque sentiendi libidine diffingant, adeoque tot propemodum religiones Germania censeat, quot regiones. Certè his locis, ubi à Romana Ecclesia, SS. Patribus Conciliisque subnixæ, deflexit; plurima eorum abolita cernimus, quæ à Carolo olim Magno, primisque Christianæ fidei per Germaniam autoribus tradita accepimus; ut necesse sit, vel nullam admisisse unquam Germanos, sanæ religionis, fidem; vel certissimam hoc tempore admittere perfidiam. Plurima enim sunt, quæ in recepta Ecclesiæ disciplina Lutherus innovavit, postquam in pravo Indulgentiarum usu peritringendo longiùs ex æmulatione Tecelii proventus, leviores Ecclesiæ errores ita persequeretur, ut in gravissimos incideret. Denique tanto Romani Pontificis ejusque fautorum odio flagrare cœpit, cum illius sententiâ opiniones suas damnatas vidisset; ut ad subvertendam ipsius dignitatem, ingenium eloquentiamque, quâ inter Germanos valebat, omnem converterit.

Quòd quò faciliùs potentiùsque aggredere, quidquid ad antiquæ religionis vim sententiasque enervandas veterum atatum hæretici machinati fuerant, quidquid ex S. potissimum literis telorum in illam depromperant, id totum, velut in unam collegit pharetram, atque insanâ propemodum dicendi scribendique rabie in adversarios congestit. Cum Simone Mago ac Manichæo, humani arbitrij libertatem, operumque bonorum mercedem impugnare aggressus est. Cum Montanistis rectum poenitentiae usum; cum Donatistis sacrificandi ritum subvertit; jejunia cum Eutachianis suis

1146.
XLV.
Cæsar
desperat
tis pace
rebus ad
concordiam
revo-
candis
de bello
cogitat,
idque li-
bere pro-
fictar.

XLVI.
Luthero
inter hæc
mortuo
hæresis
augen-
tur.

XLVII.
Quam
sua
suam Lu-
therus
doctrinâ
ex vete-
re
religione

1546.
damna-
tis con-
gesserit,
ne pror-
sus nova
videre-
tur.

nebres comprecationes cum Aerianis damnavit. Cum Eunomio soli fidei scelerum expiationem tribuit. Cum Ioviniano religiosam proscripsit continentiam. Cum Nestorio Patrum scripta Conciliorumque placita errorum plena arguit. Cum Phorio castitatis meritum, presbyterij dignitatem, ac Pontificij nominis autoritatem conculcavit. Cum Berengario in Eucharistia substantiam panis vini que admisit. Cum Waldensibus indulgentias aspernatus est, sanctorumque miraculis fidem derogavit. Cum Hus & Wiccles pleraque Ecclesie Sacramenta, summumque eius caput Pontificem execratus est. Verbo, antiquarum in Luthero hæresum detestabilis quædam affluxit colluvies, nec quicquam ab eo repertum est, cuius vis aliqua roburque ad expugnandos hominum animos existeret, quod jam olim cufum, vibratumque in illius Ecclesie perniciem non fuisset, quam omni nunc artificio Lutherus oppressum ibat. Quod cum nequeant ire inficias, tam infani deinde Lutheranorum non pauci reperti sunt, ut, cum aliunde non possent; suæ, ex his hæreticis, doctrinæ antiquitatem probare conati sint. Ac si nihil interesset, à quo Simone, Petrone, an Mago prodirent? modò antiquitatis impresam sibi notam ferrent, sed graviora his nondum attigimus.

XLVIII.
Quomo-
do ad suū
ingeniū
Lutheri
S.
Scriptu-
ram ap-
parit, &
SS. Pa-
tres per-
strinxerit.

In S. Scriptura cum non pauca occurrerent, quæ vel ab ingenio institutoque suo aliena sentiret, vel quorundam jam pridem sententiis oppugnata non ignoreret, suo calculo non pauca damnavit. Iobi libros comædia loco habuit, Tobiam & Iudith ad Poetarum somnia rejecit, Ecclesiasticum, Hesterem ac Machabaos profanis accensuit. Ecclesiasten ex Thalmudistarum fabulis ac Ptolomæi Bibliotheca natum commentus est: Esdra libros nugas imperit as: Apocalypsin vigilantis esse somnium asseruit. SS. Apostolorum Iudæ & Iacobi Epistolas, Ioannis tertiam, Petri alteram, Pauli Hebræis inscriptam frivolas stramineasque esse arguit. Patres ac Concilia suæ opinioni adversantia facile aspernatus, impudenti etiam ore ac calamo passim ausus est perstringere. Chrysostomum, missæ sacrificio faventem, ineptæ loquacitatis reprehendit. Basilium, Monachorum fautorem, nec pili quidem habet. Bernardum, de præceptis ac libertate differentem, erroris condemnat. Tertullianum cum suo Carolo studio ineptire existimat. Cyprianum infirmi iudicij Theologum, Hieronymum scriptorem frigidum, Ambrosium jejunum, Augustinum per sæpè languidum asserit. Nihil denique omnium calamis in Romanos Galatasque exaratum esse pronuntiat, quod purum syncerumque reperitur. Alibi in Genesim commentans thraconicè exclamat. Quia te, Hieronyme, conculcamus cum tua Bethlehem, cucullo, ac deserto. Et adversus Angliæ Regem: Mille se Augustinis, mille Cyprianis repugnantibus, nec quicquam de sua sententia cessurum asserit. Ut proinde necessarium sit, aut hos, aut Lutherum hæreseos condemnare; quod homini prudenti, neque extremè malitioso discernere, haud erit difficile.

XLIX.
Primi Se-
ctatores
Lutheri
quales
fuerint,
quales
deinde,
& quam
incon-
stantes
poster.

Certè qui Luthero primùm adhærescerent, aut profligatæ pudicitie homines, aut libertatis avidi, aut bonorum Ecclesiasticorum cupiditate cæci fuere: qui deinde sequuntur, hos vel autoritas, vel patria institutio, vel turpissima de Catholica Religione figmenta, vel hæc universim omnia, cum magna vivendi sentiendique libertate conjuncta, in exitium abripiunt. Quanquam Luthero vitâ functo, multi ex sectariis vel Zwinglio, quem cum suis, haud multò ante mortem, velut hæreticum orcoque devotam victimam, proscripserat; vel, deviantium

more

more, quorum error progressu crescit, Calvino denique favere visi sunt, qui, ut erat natione Gallus, eodem unde abierat reversus, Genevæ placere primum, suamque factionem firmare cœperat, terfo subtiliq; calamo, quàm linguâ promptior. Is veterem Sacramentarium & Iconoclastarum hæresim, præter ceteros Lutheri errores, in lucem revocavit, ac penè reliquum omnem pietatis Christianæ fontem cum Eucharistiæ veneratione obstruxit, proximamque ad Atheismum aperuit. Eventurum illud denique Europæ, quod Orientis Imperio, videtur; cui per hæreses ad illam, quam nunc sequitur, impietatem aditus patuit; ut sensim sine sensu ad interitum devolutum sit, tantò quidem tristiores, quòd calamitatem, quam patitur, non agnoscat.

Atque utinam Europa tot gentium domina, etiamnum in hoc præcipitio, a pertis oculis, malum anteverteret, Ecclesiam intueretur supra petram, civitatem in monte positam, quæ abscondi per tot secula non potuit, suam hanc altricem ignorantibus, quam in dissensione audire jubentur, qui Ethnici, aut Publicani haberi noluerint. Expenderet sanè, orthodoxam religionem ab hæresi facile posse separari; modò non indiligens observator ortum, progressum, fructumq; ad virtutem ac pietatem utriusque consideret. Orthodoxam illam esse, quæ sit antiquior ceteris, & à primis Apostolis per notas successiones propagata fuerit. Hæreticam, quæ veræ religioni supervenerit, tam manifestâ Ecclesiæ concussione, ut ejus principium ignorari nequeat: orthodoxam esse, quam contrariâ licet hæreses, sibi que infesta, conspiratione tamen animorum, & armorum oppugnant; quæque ipsa omnes, sine discrimine, extirpare nititur, contraque veterum, Arij, Nestorii, Eutyichis schismata depugnavit. Denique orthodoxam illam esse, quæ unâ ubique gentium lege, atque autoritate administratur, quæ non ex unius, aut paucorum privatorum sensu; sed totius Christiani orbis; non seculi unius alteriusve; verum omnis retro antiquitatis judicio S. Scripturam interpretatur, quæ crebris manifestisque, inter infideles potissimum, propagatur, stabiliturque miraculis, quæ non præcepta tantum; sed & consilia sectatur Evangelica (irrita, nisi sint, qui amplectantur) quæ sacrificium aliquod, in prisca novaq; religione possessum, & per Antichristum, ut Scriptura loquitur, abolendum noverit. Hæc enim omnia ejusmodi sunt, ut indubitato, vel rationis vel S. Literarum suffragio nitantur, & à quovis, nisi turpi ignoracione rerum, aut pravitate vitæ corrupto, admitti debeant. Et verò ab illo admittentur, qui animæ suæ pretium, salutis propriæ dignitatem ac felicis infelicisque æternitatis pondus, ex hac consideracione pendentis, momentum apprehenderit.

Natus hoc eodem anno, quo Lutherus abiit, in vitam Ratisbonæ fertur Joannes Austriacus * sortitus eundem, qui parenti Carolo Cæsari fuit natalem diem. Mater ei Barbara Blombergæ Ratisbonensis, formâ ac genere juxta nobilis, ex quâ, ad Carolum inducta, ut merorem cantu allevaret, filium ille suscepit, jam pridem viduus, Isabellâ conjugem ante annos septem amisâ; namque eâ vivente servasse Carolum perquam sanctè conjugalem fidem, fama est. Quin etiam sollicitus, ne quid in ea urbe resciretur, infantem impleto nondum anno, matri abre-

L.
Vnicus
ab hac
tantum
divulsio-
ne patet
exitus,
per Ec-
clesiam
ortho-
doxam.

* Verba
Fam.
Strada de
bel. Belg.
d. 1. 10.
Ll.
Joannis
Austriaci
nativitas
& educa-
tio.

ptum

ptum Aloyfio Quifciada Imperatoris aulae Praefecto, quem expertus erat arcuum celantissimum, tradidit in Hispaniam deferendum; ut à conjugè Maria Ulloa, honestissimis sanctissimisque moribus matrona, educaretur: caveretque ne cui mortalium suboleret pueri pater; sed lapsu temporum indoles ejus præcellens, mores graviter officiosi, incessus ipse atque aspectus privato majorem arguebant. Ad æqualium puerorum greges, ita se addebat, ut egregius ipse, & tanquam ductor haberetur. Cyrum dices inter Pastores, cum iis luctatione, aut cursu, aut jactu sudis, aut alio campetri ludo eatenus congregiebatur, dum videretur sibi victoriæ securus. Ideoque libentius indulgebat equitandi studio, quod in eo facile omnibus anteiret. Manè hæc prima surgenti cura, equum inscendere, turmam puerorum ducere, hastas ad manubrium usque perfringere, aut suspensum in annulum recta inferere. Et gaudebat Aloyfius homo militaris illa armorum indole, ac rudimentis, ut aiebat, magnorum operum, donec ab Imperatore Carolo admoneretur, ut filium mitioribus artibus imbutum ad sacri ordinis amorem præpararet. Sed, ut ætas prima post tincturam voluptatis ægrè alium colorem bibit, difficile jam deserebat ludicra illa oblectamenta puer: & Carolus haud ita multò post fato concessit. Quo quidem supremo tempore aperuit Cæsar Philippo filio Hispaniæ Regi (namque antea clam illo id habuerat) Joanni, qui apud Aloyfium Quifciadam Villagarziæ educabatur, eundem, ac Philippo, Patrem esse: proinde advocaret ad se puerum, haberetque non minùs curâ & caritate filium, quàm sanguine germanum fratrem.

LII.
Philip-
pus Rex
Hispani-
æ pro
fratre
agnoscit,
ac reci-
pit.

Sed Philippus Rex duos adhuc annos à Cæsaris obitu exspectavit, quo interim Carolus filius Hispaniæ Princeps adolesceret. Tum fratrem agniturus Vallisoletò ad Spina Cœnobium venandi gratiâ, magno nobilitum comitatu proficiscitur. Ad eum locum jubet à Villagarzia occurrere cum venatorum grege Aloyfium, secumque Joannem trahere. Aloyfius instructa venatione, equum superbè phaleratum inscendit ipse, Joannem vulgari jumento insidentem post se ducit, venatorum globo immistum. Cùmque ad Torosium montem accessisset (quem circa locum venari prospectabat Regium comitatum) ex equo repente desilit, idemque, ut faciat, Joanni significat. Paret ille: simul Aloyfius ante eum provolutus in genua; * *Porrige, inquit, osculandam mihi manum celsitudo tua. Novi quid habeat veneratio hæc mea; mox ab Rege, qui te accersit, intelliges. Nunc equum, instratum tibi hoc ornatu, scande.* * Restitit ad ea puer subitâ novitate attonitus: tradidit tamen manum, atque equum subiit: suspensis admiratione qui aderant, & tanquam in scena, quem exitum ea catastrophe habitura esset, intentis. Cùm ecce in conspectum venit Philippus Rex cum venatorum equitatu: illico Joannes ad pedes, præeunte Aloyfio se demittit, Regemque, in id officii, decorè compositus, de genu veneratur. Tum Rex manu puerum attollens: *Num satis teneat, quo patre sis genua? blandè interrogat.* Cùmque is responsi dubius hæreret: quod illum, quem Patris habuerat loco, amissile jam se videret. Rex equo depositus. * *Macte, inquit, prænobilis viri filius es tu: Carolus quintus Imperator, qui cælo degit, utriusque nostrum pater est.* * In quæ verba puerum fraternè complexus, in equum reposuit: iussitque illi

illi famulos accedere, utque sanguinis Austriaci, & Cæsaris prolem addecet, inter-
fervire: festo interim venatorum clamore personantibus latè campis, ac læto in-
primis Procerum plausu, diem illum Festum Regi, faustum novo Regis fratris
ceratim effuseque gratulantium. Rexque ipse solitus est dicere. *Nunquam se ju-
cundiores venando prædam, quàm eo die retulisse domum.* 1546

Sic agnitus Joannes Austriacus educari in aula cœptus est, quem deinde non
pauci, & animi magnitudine, & rerum gestarum gloriâ cum Carolo Patre con-
tulere. Utrique eundem natalis ac prope mortis diem: simile terrâ marique in
Mauros inque Turcas expeditiones. Idem Tunetanum Regnum ab utroque sub-
actum. Plura patrebella confecisse; nam & plures vixisse annos; filium unâ vi-
ctoriâ navali numerum alterius adæquasse. Quod si penes hunc rerum arbitrium
fuisset, regnisque & exercitibus unus imperasset, haud dubiè claritudinem pa-
tris assecuturum. Denique & in postremo vitæ actu similitudinem patris optasse
Austriacum: utque ille abdicatis regnis in divi Justini solitudinem abdidit sese,
sic ipsum, paucis ante obitum mensibus decrevisse, inter Serrati montis Eremiti-
colas, *et demum inservire Domino, qui (ut agebat) plura quàm Philippus frater, & posset,
& vellet.* Quod, unice pietatis studio, an rerum improspere succedentium tæ-
dio meditaretur, haud facile separaverim. Illud in Joanne Austriaco, citra om-
nem patris comparisonem, non omiserim. Mundiciem animæ, cujus amorem à
puero indiderat educatrix Villosa, usque adeò coluisse per omnem ætatem, ut
nullam paulò graviorem noxam Deique offensam apud se ferre diutius posset;
atque ideo bis singulis mensibus (quod illi perpetuum fuit) conscientiæ labes sol-
licitè confessus excuteret: animo verè principe, qui turpissimæ servituti nequiret
insuescere. Immo, nec expeditionem aliquando concepit, aut signa cum hoste
contulit, quin ante præliarem diem accuratissimâ confessione Dei clementiam
propitiaverit. Quod sanè studium sui in Principe viro, cui ab ætate, ab armorum
imperio summa licentia, tantò quis, opinor, pluris æstimaverit, quantò rarior in
castris hæc pietas, quantoque hujusmodi circumspectio minùs solitaria, nec sine
multarum comitatu virtutum esse consuevit. Hoc porrò si quis ad militares viri
laudes adjungat, ad bellorum varietatem, quibus antequam interesset miles,
præfuit Imperator: ad altitudinem animi, quo nullum genus hostium, vel nume-
ro majus, vel famâ insuperabile unquam expavit: ad præliorum felicitatem, in
quibus perpetuò victor, victus certè nunquam discessit; profectò Joannem Au-
striacum magnos inter fortunatosque armorum Duces jure adnumeraverit.

LIII.
Virtus,
fortitudo,
feli-
citas ac
pietas
Joannis
Austria.

Hucusq;
Ser. da.

LIV.
Triden-
tini Con-
cilio len-
ta exor-
dia, &
post di-
sciplina-
riones
varias,
doxam

Ad Concilii Tridentini progressum quod attinet, multis ille objectis remoris,
velut in tempestate fluctibus, tardabatur, lenti aderant ex Hispania Galliaque
Episcopi, ex Germania vix ulli, utpote primum Ratisbonensi comitio, ac dein
belli metu apparatusque detenti. Imperator ad hæc ostentari Concilium magis,
quàm in definiendis fidei controversiis volebat progredi, ne Protestantes ante
accessum damnati, illius judicium subterfugerent. Unde emendationem morum
quorum corruptela præcipuum Adversariis erat defectionis argumentum, Ca-
rolus inprimis urgebat. Sed contra statuebat, nec ineptè, Pontifex, fidem ortho-

1546.
sessiones
ac de-
creta.

doxam formandorum debere esse morum principium ; ut ex qua regulæ Christianis legibus disciplinisque sumendæ essent , nihil in reformatione morum ingenii Lutheranorum idoneum à Romanis fingi posse. Fuitque acerrima hæc inter Pontificem Cæsaremque opinionum dimicatio , donec commissa Synodi Patribus , eâ denique sententiarum consensione ; quamvis invito Cæsare , stetit ; ut quæstionibus fidei , morum inquisitio reformatioque appositè , tanquam annulo gemma , jungeretur : uti post indictam in fine anni 1545 , ad 13 Decembris Synodum , sessione altera , sequentis anni 1546 die Januarii 7 Patrum quadraginta trium judicio decretum est. Ac dein sessione tertia Symbolum Apostolicæ fidei ab omnibus recitatum ; quarta verò die

Vide can.
Laodice-
num. &
Cartha-
ginensis
III.

VIII Aprilis de Canonicis S. Scripturæ libris constitutum ; vulgato in Ecclesia textu ad conspirantia tamen exemplaria emendato , cum omnibus in Canone jam olim receptis libris , (ex quibus Lutherus suo minus instituto faventes rejecerat) utendum , idque recepto antiquorum Patrum , totiusque Ecclesiæ , non privato recentium Interpretum , sensu. Post hæc sessione quinta 17 Junii elisit Synodus fundamentalem Lutheri de concupiscentia , tanquam originali peccato , in omnes homines transeunte , errorem ; solumque cum Jacobo & Augustino admisit , non , quod ipsa sit , verum quod

Iac. 1. v.
15. Aug.
contra
Julian. l. 6
c. 11. &
de nupt.
l. 1 c. 23.
Error
Protestan-
tum de
peccato
originali
abomi-
nandorū
errorum
femina-
rium est.

Concupiscentia cum conceperit , parit peccatum ; peccatum autem cum consummatum fuerit , generat mortem. Concupiscentia igitur , licet tropicè dicatur ut causa peccatum , non est propriè ; quia mortem non generat , nisi per natum ex se peccatum. Quæ jam olim usurpata Ecclesiæ sententiâ atque interpretatione , cum porro insistendum , anathematis interminatione additâ Synodus jure decrevisset , præcipuam Sectariorum columnam subruit , quâ nixi , ob inquinata , ex concupiscentiæ vitio , justorum , ut volunt opera , nullam eis justificandi vim , nullum salutis meritum indulgent , solique justitiæ Christi per fidem apprehensæ , ceu humanæ malitiæ pallio , omnia tribuunt ; libertatem homini ad benè operandum denegant , impossibilem divinæ legis observantiam fingunt , & nescio quæ portenta opinionum , contra Deum ejusque verbum , contraque rationem nobis datam inferunt : ut nullus denique Tyrannus adeò immanis crudelisque reperiri queat , quàm hi Deum , omnis boni æquitatisque fontem , comminiscuntur : qui nobis consultò imperet , quæ expleri non possint ; severè plectat , quæ nequeant evitari. Hujusmodi ergò deliramenta , tanquam hydræ capita , divinarum Scripturarum testimoniis confixa , ex hoc malorum concupiscentiæ fonte derivata , Synodus reprimenda putavit : ne ex leviori , ut principio videtur , errore denique in hæresum immane chaos abstraheremur. Eratque hic primum occupandus aditus , quo totius contra Augustanam Confessionem victoriæ momenta continebantur ; unde ad justificationis detegendos errores , anno congressuque sequenti , Patres conscripti faciliùs transièrent. Nimirum :

LV.
Quo fa-
cinore

Dimidium facti , quæ benè cœpit , habet.

Quo tempore superstes adhuc Lutherus doctrinæ suæ confirmandæ gratiâ ,

ut

ut Fridericus Staphylus ejusdem discipulus, factique praesens testis, memorat, daemone in obsessa Misnienli puella exorcismis Wittenbergæ aggressus est; quod citra probam declinare importunè hoc beneficium postulantes non posset. Ergo sacrarium, assumptâ illa cum Staphylo, aliisque quibusdam, subiit; admotisque conceptis à se ex S. Literis adjurationibus, cum furentem seque aggredientem daemone sustinere non posset, neque per firmatum à diabolo ostium pateret fugienti exitus, implorato aliorum subsidio, securis denique per cancellos fenestrae (quos & Lutherus nequicquam convellere nitus erat) suppeditata est. Quâ arreptâ Staphylus, Luthero, jam ex meru humana perpeſso, & nil gratum olenti, januam ut demum fugamque aperuit, doctus cum alio deinde Magistro salutis suae negotium pertractare. Fuitque hoc penè supremum in vita operum.

quo mundo fidem suam Lutherus probaret, non sine insigni sui nominis ignominia. Nempe: *Opprobrium cepti, qui malè claudit, habet.*

1546.
Lutherus fidem suam mundo postremum probavit, in diaboli exorcismo.

